Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Jakob Crusius

Confessio Et Sententiæ Nostri Temporis Symbolorvm Et Patrvm. De potestate ecclesiastica. De Traditionibus hominum in Ecclesia. Et quibusdam alijs Articulis doctrinæ cœlestis ... De Propositionibus 65, Quæ summam continent, disputabitur Sundij die ... Autore Iacobo Crvsio Superintendente Sundensi.

Rostochii: Augustin Ferber, 1580

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1757675671

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN



A – E.
A – B.
A – B. 12 β.
A – F.
A – C.
A – C.
A – B.
A – C.
A – E.
A – B.
A – B.
A – B.
A – F.
A – H.
A – D.
A – C.
A – E.

Sm – 4303 1–17.
51a. 11.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1757675671/phys_0002

CONFESSIO ET SENTENTIÆ NOSTRI TEMPORIS SYMBOLORVM ET PATRVM.

De potestate Ecclesiastica.
De Traditionibus hominum in Ecclesia.
Et quibusdam alijs Articulis doctrinæ cœlestis.
Quæ ideo sunt collecta, vt iudicet Ecclesia, cum variè se exerat, quod cum hac doctrina pugnat, vtrum sit verius. Hoc est, sit ne docendo & vsu ipso retinendum, id quod Patres nostros autores habet, An vero quod huic est contrarium.

De Propositionibus 65, Quæ summam continent, disputabitur Sundij die 21 & 22 Nouembris Hora 8

Autore
IACOBO CRVSIO
Superintendente Sundensi.

ROSTOCHII Typis Augustini Ferberi.
Anno M. D. XXC.

Ex Bibliotheca Academiae Rostochiensis

SVMMA SVBIECTARVM CONFESSIONVM ET SENTENTIARVM, ET QVÆ EX ijs consequi necesse est, his propositionibus est inclusa.

I.

PIDEI est Articulus doctrina de potestate, gubernatione, Iurisdictione, & pœnis Ecclesiasticis.

II.

Quisquis vnum de verbis quæ de ore Dei processerunt, admonitus præsertim, audebit soluere, & arguere stulticiæ, absurditatis & nullius necessitatis, Is haud dubiè audebit idem

in omnibus Dei verbis, vt & re ipsa id facit.

III.

Si liberum esset vnum Dei verbum negare, nullus vt Hæreticus damnari posset.

IIII.

Articulorum fidei de potestate Ecclesiastica, & traditionibus hominum in Ecclesia, ea est necessitas, vt sine illorum sano intellectu, Nec Deo constet sua gloria, Nec plurima scripturæ dicta rectè possint intelligi, Nec discrimen potestatis Ecclesiasticæ & politicæ sanum retineri, Ex cuius euersione ante renatam lucem Euangelij tam densæ ortæ sunt tenebræ & perditiones infinitæ, Nec per scripturam euerti Hierarchia Pontificia impia, & ipse Romani Episcopi primatus, Nec refutari impia Synodi Tridentinæ de Episcopali potestate doctrina, Nec Patres nostri vindicari ab iniurijs innumeris, quas Pontifici Romano & eius gregi intulerint, Denique non aucrti infinita Tyrannis in Ecclesia & alia mala plurima.

V.

Est autem hic sanus horum Articulorum intellectus, qui immenso Dei beneficio à Patribus nostris Theodidactis est monstratus.

Vt

VI.

Vt inter Apostolos nulla fuit maioritas vel superioritas, ita omnes alij noui Testamenti ministri, seu vocentur Episcopi, seu Presbyteri, seu Pastores, seu Doctores, seu Præpositi, iuxta scripturam vel iure diuino sunt æquales gradu, officio & potestate.

VII.

Imo sola immediata vocatio, & quæ eam iuxta promissionem Christi secuta sunt signa & testimonia diuina, discrimen facit inter Apostolos & reliquos ministros omnes.

VIII.

Quotquot dicunt inter Apostolos quosdam fuisse maiores, quosdam minores, Quotquot item dicunt, autoritate diuina Episcopos, officio & potestate, Presbyteris esse superiores, hi & loquuntur contra scripturam & Deum, & in Ecclesiam Dei fundamenta impiæ Hierarchiæ Pontificiæ reuocant, & cum impia Synodo Tridentina, sanctis nostris Patribus, Imò toti veræ Ecclesiæ, Anathema dicunt.

IX.

Quod autem postea distincti sunt Episcopi à Presbyteris, Pastores ab alijs ministris, id solo iure humano propter necessitatem in re-

medium Schismatis est introductū, Cum propter æqualitatem hanc nemo vellet audire alterum, vel alteri cedere inter ministros verbi.

X.

Interea ne Ecclesia contemneret, & tentatione Dei repelleret sapientiam filij Dei & amorem summum, qui in constitutione huius æqualitatis inter ministros verbi conspicitur variè, primò studiosè docendo eam retinuit. Deinde ne propter necessitatem quam diximus, nimis longè à sapientia Dei recederet, Cuilibet oppido tam paruo quam magno, toto orbe terrarum, ad minimum vnum dedit Episcopum. Imo in oppidis aliquibus vt Apostolorum ætate, Ita & longe post eam, plures vno & eodem tempore fuisse Episcopos certis scripturæ & historiarum testimonijs doceri potest.

XI.

Parum autem est in vno aut altero dissimili dicto vel exemplo, Quod præter veram necessitatem & alias potuit habere caussas, Ut Iohannes Apostolus de Diotrephe iam tum affectante Primatum conqueritur.

XII.

Titum Episcopum fuisse, oppidorum omnium in Creta quotquot illius tempore Euangelium

lium receperant & pugnat cum scripturæ & probatis veterum & recentiorum Patrum testimonijs ad normam scripturæ congruentibus.

XIII.

Idem sentiendum est de Timotheo cum affirmatur eum non modo Ephesi, sed & in vicinis regionibus Asiæ Episcopum fuisse.

XIIII.

Apostolorum temporibus, cum omnium optimè constituta esset Ecclesia, quælibet ciuitas, etiamsi minima eius pars ad Christum esset conuersa, suum habebat Episcopum.

XV.

Denique adeo constanter id ita obseruauit Ecclesia vt tempore Hieronymi, Ambrosij, Augustini, nullus in Ecclesia fuerit Archiepiscopus, Nullus Primas, Nullus Metropolitanus.

XVI.

Fuit & æqualis omnium Episcoporum potestas & officium. Nec potest melius gubernari Ecclesia.

XVII.

Huic porrò cuiusq; oppidi Episcopo, præter locum superiorem & quasi ductum quen-

dam aliorum Presbyterorum, nullum aliud peculiare officium fuit tributum, quam Ordinatio. Idq; solo Iure humano.

XVIII.

Falsissimum igitur est per dicta, Tit. 1. 1. Timot. 5. 2. Timot. 2. distingui Episcopos à Presbyteris gradu, officio, potestate. Sic vt scriptura soli Episcopo tribuat potestatem constituendi oppidatim Presbyteros, potestatem item & ius iudicandi eosdem, & alioquin administrandi iudicia Ecclesiæ.

XIX.

Quicquid ab Apostolis est dictum, factum vel constitutum, dissentiens à norma, quam dictante Spiritu Sancto toti Ecclesiæ, atque hoc modo sibiipsis quoq; præscripserunt, Id nequaquam pro Dei verbo est habendum.

XX.

Quare si sufficienter, sufficienter inquam, probari poterit, Apostolis non modò viuentibus, Sed & permittentibus, vel etiam approbantibus, Episcopos à Presbyteris fuisse distinctos, id solius humanæ est autoritatis, seu propter necessitatem, seu propter cordium duriciem, vt sic à Mose permissa sunt diuortia, Usuræ, Intermissa circumcisio, Pascha.

Si

XXI.

Si quis dimicationem cuius hæc sint Iuris, existimat non esse necessariam, is cogitet primùm mandata diuina, Non assumes nomen Dei in vanum: Nihil adimes, Nihil addes. Qui non credit Deo, mendacem eum facit. Deinde & illud, Si quis dicat, Perinde esse vnde sit Baptismus, Magistratus, Coniugium & alia multa, dummodo sint, quantum dignitati harum Ordinationum decedat, Quanta item pijs eripiatur consolatio. Cogitet hoc quoque quàm acerrima toties in Ecclesia vera de vna aut altera vocula extiterint certamina, quæ adeo iudicata sunt necessaria, potius vt Orthodoxi vitam profunderent, quam vnicam abijcerent vocula testimonia diuina habentem.

XXII.

Quamdiu Apostolica constitutio de cuiusq; oppidi Episcopo in Ecclesia fuit retenta, tamdiu regnum perditurum omnia, Deo iuuante, fuit repressum.

XXIII.

Postquam autem specie quadam sapientiæ & vtilitatis, ab hac totius orbis consuetudine est recessum, paulatim hi & illi maiora, vt fit, affectarunt, non vrgente necessitate sed impel-

lente ambitione, donec his occasionibus homo peccati & filius perditionis extolleret se supra omne quod dicitur Deus.

XXIIII.

Itaque cum inenarrabili beneficio Deus excitaret Lutherum vt reuelaret & Spiritu oris Dei interficeret iniquum illum, mox initio per hoc suum organum electum vnà cum falsa doctrina de pœnitentia expugnauit Hierarchiam Pontificiam, reuocato sano dogmate de æqualitate ministrorum verbi omnium. Quod & re ipsa longo tempore post renatam lucem verbi multis in locis fuit vsurpatum.

XXV.

Quæ autem primitiuam Ecclesiam adegerat necessitas vt Iure humano Episcopum distingueret à Presbytero, ea Luthero & aliis idem expressit. Quod si propter necessitatem in aurea illa Ecclesiæ ætate id permittendum fuit, multo magis in hac effœta senecta mundi idem concedendum erit.

XXVI.

Et tamen studiosissimè Patres nostri & scriptis & exemplis veterē de Episcopis oppidorum singulorum, toto orbe probatam consuetudinem reuocarunt. Ita quidem vt Lutherus ma-

magno Spiritu priorem metuens perditionem. Alijs item de causis, ex firmis ijsq; multis scripturæ fundamentis, multoties dixerit, Apostolica constitutione ad minimum cuiq; oppido vnum dandum esse Episcopum, Cum manifestum sit, per scripturam, vni oppido, multos tribui: Eaque de causa esse ex Diabolo, si quis plurium oppidorum sit & velit esse Episcopus, Velit, inquam, abrogatis maxime singulorum oppidorum Episcopis, Sic vt in oppido nullo, regione tota, quæ vni paret Domino, vel eius parte, nomen & res Episcopi supersit, & ad vnum hominem reiecta hæc sint & esse debeant.

XXVII.

Nec verum est hæc à Luthero de Episcopis Papæ, Principibus gentium tantum dicta esse, Sicvt inter Papistas sit ex Diabolo, si quis tali modo, vt dictum est, plurium oppidorum sit Episcopus, Inter nostros autem ex Deo. Ipsa eius verba quæ post subijcientur hoc audax interpretamentum refutant.

XXVIII.

Deinde & hæ maximi momenti rationes. Quidquid iuxta Scripturam constitutionis est Apostolicæ id haud dubie est ex Deo. Quare quid-

quidquid hoc ipsum euertere conatur, id ex Diabolo esse necesse est, maxime si nulla vera vrgente necessitate, Constitutio de Episcopis diuina, etiamsi piè, præclara eius alicubi iacta sint fundamenta & monstrata vestigia, abrogetur, & magnæ concitentur turbæ & distractiones, ne in Ecclesiam hoc quod est Apostolicum reuocetur, etiamsi piè & rectè sit inchoatum, Et quod maius est, si quis audeat constitutionibus humanis abrogantibus quod est Apostolicum, cum summa nominis diuini contumelia, hoc ipsum Sanctum nomen prætexere, & quis simpliciter sola humana equidem contra verbum nitens autoritate, plurium ciuitatum velit esse Episcopus, Id omne haud dubie est ex Diabolo.

XXIX.

Vt igitur impegerunt in lapidem offensionis qui sanam Lutheri doctrinam de libero arbitrio, de cœna Domini & similia euertere sunt conati, & Erasmicam, Sacramentariam item substituere, Ita & iam idem verum in ijs est factum & magis fiet, ni desiterint qui hanc sanam eius de Episcopis oppugnant doctrinam.

Rur-

XXX.

Rursus autem parum retulerit, etiamsi vnum aut alterum dissimile etiam ab ipso Lutheo approbatum monstrari possit Exemplum. Id quod varijs de causis humana autoritate factum vel permissum esse nihil dubium est, Quod doceri potest.

XXXI.

Hæ ipsæ quoq; sententiæ ex Lutheri autoritate satis monstrabunt, quid de exemplis humanis non congruentibus ad normam verbi sit sentiendum.

XXXII.

Perinde enim hæc sunt ac si quis ex exemplo Saræ quæ Abrahæ viro suo ancillam adiunxit vxorem vt ex ea prolem susciperet, vel ex exemplo Iacob, qui duas sorores in matrimonio habuit & similibus exemplis Sanctorum valde multis, regulam vel legem exstruere velit.

XXXIII.

Quod si Abraham vel Sara, vel Iacob dixissent hæc à Deo esse instituta, & sic fieri oportere, haud dubie locuti essent ex Diabolo. Vnde & filius Dei primam coniugij institutionem reuocat.

Non

Non quadrat autem Lutheri vox de Episcopis qui ex Diabolo sint, in quosdam, qui recti fuerunt & adhuc sunt corde, ambulantes in sinceritate Dei, non in astutia & malitia. Qui quanquam Superintendentis in aliquot oppidis, imo tota aliqua regione, functi sint & fungantur officio: Tamen nullus eorum ausus fuit, vel adhuc audet, scribere vel ordinare quod euerteret sanam de potestate Ecclesiastica, & traditionibus hominum doctrinam, in illis ipsis libris extantem qui nostri temporis Symbolis & Corpori doctrinæ, quod probare quidam videri volunt sunt inserti. Constat item nomen generalium recens in nostris Ecclesijs esse, quanquam probe notum sit agmini Pontificio & quomodo quidam ex his Episcopis de quibus loquor statuerint, quod contrarium prorsus est generalitati, retinentes illud quod est Apostolicum, Idq; omni arrepta occasione, vt piè, ita & studiosè reuocare sint conati, imo & reuocauerint, euidenter doceri potest & plurimis est notum.

XXXV.

Sciat igitur tota Ecclesia, neminem bona cum conscientia generalem esse posse, hoc est, Su-

Superintendentem plurium vel omnium oppidorum, regione aliqua tota, nisi id euidentissima requirat necessitas, hoc est, desint personæ ad gubernationem Ecclesiæ idoneæ, & nisi illa vrgente diserte is fateatur alienum hoc esse à norma verbi, & studiose captet occasionem reuocandi illud de Episcopis quod est Apostolicum & nihil minus agat, quam vt suis & aliorum indulgens cupiditatibus id abrogare vel reuocationem impedire conetur.

XXXVI.

Cum iam quidam ausint de nouo, Ecclesiæ Pontificiæ tales creare triumphos, vt generalitatibus prætexant nomen diuinum, & propter eas turbas dent, cumq; in conspectu & id sit, quid ab ijs alioquin sit expectandum, & pium & maxime necessarium est abrogare prorsus vt nomen, Ita & rem ipsam, & plurimarum Ecclesiarum exemplo pio, reuocare constitutionem de Episcopis Apostolicam, Ijsq; æqualem tribuere potestatem.

XXXVII.

In quo qui vniuersalem expectat consensum is viderit, ne citius dies Domini cum tanto vulnere conscientiæ eum opprimat. Cogitet quoq; quid à maioribus & Patribus nostris

sit

sit factum postquam ministerio Lutheri veritatem agnouerant de doctrina Pontificia, de Monachatu, votis & alijs rebus plurimis. Item & illud quid sit magis de autoritate dimicare humana, quàm diuina, seu magis delectari mandatis hominum quàm Dei.

XXXVIII.

Ad legitimam tamen Electionem & Vocationem modestè, sine tumultuationibus hæc sunt facienda, sicut & è regione nemo piè legitimas Vocationes impugnare potest.

XXXIX.

Est autem hæc legitima Electio & Vocatio, vt Ecclesia hoc est is cœtus cui dandus est Pastor vel in eo cœtu homines honesti & pij quibus eam rem autoritate publica commisit Ecclesia, eligant & vocent ministros verbi omnes.

XXXX.

Hoc Ius diuinum nulla humana autoritas Ecclesiæ eripere debet & potest. Sic igitur Patroni suo vtentur iure quod humanum est ne euertant ius quod Deus Ecclesiæ dedit.

XXXXI.

Si Patroni pro sua pietate concesserint alicui Ecclesiæ, quod de Episcopis iuxta constitutio-

tutionem Apostolicam fieri debet. Si item ius diuinum in electione & vocatione, quisquis id quocunq; modo eripere ei conatur, is Deo placere non potest.

XXXXII.

Imo etiamsi tale quid Patroni Ecclesiis non concesserint: Tamen si velint militare bonam militiam & retinere fidem & bonam conscientiam, debent vt Episcoporum: ita & ministrorum verbi omnium Electionem & vocationem cuilibet permittere Ecclesiæ. Interea nihilominus pius aliquis sui Iuris humani vsus, Patronis constare poterit.

XXXXIII.

Ordinatio quæ sic vocatur est vocatio ad ministerium Euangelij & publica eius vocationis approbatio.

XXXXIIII.

Ordinationis membra necessaria, hæc scilicet, vocatio exploratio doctrinæ, indicare vocatos Ecclesiæ, approbatio vocationis & precatio, quorum ratione nequaquam est Adiaphoron, sunt discernda à Ceremonijs & ritibus mutabilibus, quales sunt: Impositio manuum, Collocatio libri supra caput, & similes. Quorum respectu est Adiaphoron. Interea tamen

men vtile est aliquem Ordinationis esse ritum sine superstitione.

XXXXV.

Una ordinatio, autoritate humana fecit discrimen Episcoporum & Pastorum.

XXXXVI.

De diuina traditione & Apostolica obseruatione seruandum est, quod in omnibus ferè vsitatum fuit prouincijs, vt ad ordinationes rite celebrandas, Episcopi eiusdem prouinciæ, proximi quiq; duo vel tres conueniant, & Episcopus eligatur per pios & honestos cuiusq; Ecclesiæ homines, cuius doctrinam audiant Episcopi qui accersiti sunt, & postea illum approbent & confirment; imponentes illi manus & ministerium commendantes.

XXXXVII.

Locus Tit. 1. Te reliqui in Creta vt constituas Presbyteros, nequaquam Episcopo soli tribuit potestatem ordinandi vel Presbyteros constituendi, sed mandat id pijs Pastoribus omnibus, Imo loquitur de Iure totius Ecclesiæ.

XXXXVIII.

Dicere aliud esse Ordinationem aliud institutionem & ratione institutionis iudicium de persona legitime vocata, sit ne idonea, &

vo-

Vocationis approbationem seu confirmationem pertinere ad Ordinarium Superintendentem, hoc est, illum qui generalis est, Sic vt vocatio ab Ecclesia etiam consentientibus Patronis facta vnius hominis instituentis stet vel cadat arbitrio, & his rebus prætexere autoritatem diuinam, est scripturæ vim facere & reuera conculcare ius Dei, ius Ecclesiæ, Imò & Patronorum, Et vnius hominis arbitrio & voluntati subijcere ministros verbi tota aliqua regione omnes, accedentibus præsertim iuramentis fidelitatis & obedientiæ.

XXXXIX.

Interea autem ne quid temerè in constitutione Presbyterorum fiat, necessarium & vtile est, in Ecclesiam reuocare diuinam Traditionem & Apostolicam obseruationem tàm de ordinatione quàm de Episcopis, vt & hoc modo in vnitate spiritus Ecclesiæ coniungantur.

L.

Cum omnes Episcopi & Ecclesiæ, & Ecclesiarum ministri sint æquales, nullus Ecclesiæ Episcopus, nisi politicos subditos habeat, iuramentum à quoquam Domino politico vel à ministro verbi flagitare potest. Itaque promissionibus fidelitatis & obedientiæ, quas quidam

pro iuramentis habent, omnino certus & pius est statuendus modus.

LI.

Iure diuino nulla Iurisdictio competit Episcopis, vt Episcopis, nisi remittere peccata, cognoscere de doctrina & impios ab Ecclesia excludere verbo, sic vt causæ spirituales de quibus iudicabit Ecclesia, sint causæ fidei & bonorum morum.

LII.

Dictum Pauli: aduersus Presbyterum noli recipere accusationem, Ecclesiæ, ad quam pertinet electio & vocatio tribuit ius iudicandi ministros verbi, si quis eos accusare velit.

LIII.

Iurisdictio in causis matrimonialibus aut decimarum solo iure humano, & quidem non admodum veteri, ad Episcopos pertinet. Cumq; hæ causæ sic inuoluant ministros verbi, prodesset autoritate publica ad suum eas reijci forum.

LIIII.

Æquum est ac iustum quod & statutum fuit Ecclesijs, vt in iudicijs Ecclesiæ vniuscuiusque causa illic audiatur, vbi crimen est admissum,

sum, vbi & accusatores haberi & testes criminis possunt.

LV.

Cum in singulis Diœcesibus plures Decuriæ Iudicum Ecclesiasticorum sunt constitutæ, vtile est & vnam supremam esse.

LVI.

Diuinum & salutare est opus Parochias & Eccl sias per homines intelligentes & doctos visitari. Idq; vno modo fieri oportet.

LVII.

Dilectio in ritibus sua natura Adiaphoris boni ordinis causa institutis, vt sunt distributio festorum, publicorum congressuum, Lectionum, Canticorum, &c. quantum fieri potest, studet conformitati. Tantum ne conscientijs iugum propter tales traditiones imponatur, quod nemini licet, hoc est, ne sentiamus ritus Adiaphoros esse cultus aut res necessarias, & vt nemo propter omissionem talium rituum condemnetur, qui extra casum scandali (Nisi quis pharisaice offendi velit) sine peccato violari possunt.

LVIII.

Cum assuuntur Adiaphoris errores de merito, cultu, necessitate, coactione propter

quas opiniones traditiones de Adiaphoris fiunt impiæ & doctrinæ Dæmonum, aduersandum est talibus legibus docendo. Et exempla doctrinæ in vsu libertatis modestè ostendere, pium & necessarium est.

LIX.

Cum hominum doctrinis & operibus, quæ seuerissimè Deus in Ecclesia prohibuit, prætexitur nomen Dei, & Apostolorum, & sub tali nomine venditantur, iam non amplius sunt simplicia mendacia & fraudes, Sed & horribiles blasphemiæ & idolatriæ vel abominationes, stantes in loco sancto, fugiendæ vt Diabolus ipse.

LX.

Quare cum generalitas sit doctrina hominum, pugnans cum verbo Dei, Cumq; quidam audeant ei nomen Dei & Apostolorum prætexere, alijs item artificijs de ea pugnare, iudicet Ecclesia, ex hac Lutheri voce, Quæ ex primo secundo & octauo præcepto est exstructa, quid de ea sit sentiendum.

LXI.

Etiamsi Adiaphoron esset generalitas, Tamen si hoc agatur vt per coactionem ijs imponatur qui iustis de causis in eam vel non consen-

senserunt vel adhuc consentire non possunt iam nec illud ex Deo esse potest.

LXII.

Ordinationes humanæ in Ecclesia, externæ sunt res. Quare cum in abusum degenerant mox abrogandæ sunt. Nullus autem maior abusus cogitari potest, quàm cum nomen Dei falso ijs prætexitur, vel conscientijs per eas iugum imponitur.

LXIII.

Si alicubi ordinationibus humanis quantamcunq; præferentibus autoritatem, tanquam fundamentum subiectum sit, Corpus doctrinæ, nondum conuictum de impietate, non debent tales Ordinationes pugnare cum fundamento, vel illud euertere, ne & ipsæ planè concidant. Quod si sint qui illud conentur, etiam admoniti, horum audacia nequaquam in Ecclesia est ferenda.

LXIIII

In Ecclesia solus filius Dei iuxta vocem è cælo prolatam est audiendus. Quare quisquis in ea loquitur & statuit aliquid is loquatur & statuat vt sermones Dei, Quibus obtemperabunt omnes qui volent Deo placere.

Rituum autem Adiaphororum, qui reuera tales sunt, in immensum longè alia est ratio. Hoc igitur in Ordinationibus Ecclesiasticis, in quibus plerumq; miscentur sermones Dei & hominum, diligenter considerandum est, Sic vt in ijs sermones Dei peculiarem obtineant locum, Sermones hominum quoq;. Id ni fiat per facile in priores tenebras reuoluetur Ecclesia.

Hæc est SVMMA, Cui quæ sequuntur sententiæ, quas non dubito formam esse sanorum verborum, luculentum dicent testimonium.

CONFESSIO ET SENTENTIÆ PATRVM NOSTRORVM, DE MINISTERIO Euangelij Apostolico, & Episcopali officio & potestate.

I.

IDei est Articulus, doctrina de potestate, gubernatione, Iurisdictione & pœnis Ecclesiasticis. *August. Confess. & Apologia.*

II.

Si omnia quæ in scriptura testimonium habent & ad fidem pertinent, sigillatim sint recensenda, longè plures fidei sunt articuli quàm duodecim. Iuxta tres autem personas diuinitatis, *Luth. Catechiss. maiore.*

pro rudioribus, tres vsitatè numerantur articuli.

III.

Luth. contra papat: à Diabolo fundatum.

Hæresis nihil est aliud quam pertinax error contra scripturam.

IIII.

Luth. Ibid.

Quisquis regulam verbi sequitur, credit & confitetur, non potest haberi pro Hæretico.

V.

August. Confess.

Ad consolandas & erudiendas conscientias nostri Patres coacti fuerunt, ostendere discrimen potestatis Ecclesiasticæ, & potestatis gladij.

VI.

Philip. Ethi:

Sunt autem præcipua discrimina quatuor, Differunt obiectis, potestate ferendarum legum, Beneficijs, & modo executionis in pœnis.

Plu-

VII.

Plurimi homines deficiunt à Deo Quia quærunt alia noua testimonia de voluntate Dei cum tamen non sint præter verbum requirendæ nouæ reuelationes.

Philip. Postill:

VIII.

Rumpenda est vnitas, Si quis vnum Articulum maxime admonitus non credit.

Luth. De funda: firmo verb. Hoc est corpus meum.

IX.

Qui vnum articulum maxime cum admonitus est, non credit is reuera nullum credit.

Luth: parua confes. de cœna

X.

Qui Deum in vno verbo audet arguere mendacij in eoq; perseuerat contumaciter. Is haud dubie audebit Deum in omnibus suis verbis facere mendacem. Vt & re ipsa id facit.

Luth: parua cõfess. de cœna

Aut

XI.

Ibid. *Aut omnia aut nihil credendum est*

XII.

Si liberum esset vnum Articulum vel verbum Dei negare, cum quis interea omnibus alijs crederet, quod tamen impossibile est, nullus vt hæreticus damnari posset. Ibid. *Imo nullus in toto orbe futurus esset Hæreticus.*

XIII.

Potestas clauium seu potestas Episcoporum iuxta Euangelium est potestas seu mandatum Dei, prædicandi Euangelij, remittendi & retinendi peccata, & administrandi Sacramenta. August. Confeß. & Apologia

XIIII.

Minister Euangelij, seu Episcopus, seu Pastor, seu Doctor est persona à Deo ordinata, vt iuxta vocationem sonet

sonet vocem Euangelij, ac Sacramenta administret, In qua functione Deus verè est efficax in credentibus. Commendet etiam vocatis ministerium Euangelij, & sit Iudex doctrinæ, Annunciet remissionem peccatorum pœnitentibus, contumaces vero puniat non vi corporali, sed verbo, videlicet legitima excommunicatione. Philip. Ethicis Incolloß. & alibi.

XV.

Secundum Euangelium, seu, vt loquuntur, Iure diuino, Nulla Iurisdictio competit Episcopis, vt Episcopis, hoc est, his quibus commissum est ministerium verbi & Sacramentorum, nisi remittere peccata: Item cognoscere de doctrina, & doctrinam ab Euangelio dissentientem reijcere: Et impios, quorum nota est impietas, excludere à communione Ecclesiæ, sine vi humana sed verbo. Si August. Confeß.

XVI.

Ibid. *Si quam habent aliam Episcopi vel potestatem vel Iurisdictionem in cognoscendis certis causis, videlicet matrimonij aut decimarum, hanc habent iure humano.*

XVII.

Confeß. Augustana *Episcopi non habent potestatem statuendi aliquid contra Euangelium.*

XVIII.

Ibid. *Episcopi seu Pastores non habent ius instituendi ceremonias in Ecclesia, & leges decibis, feriis, gradibus ministrorum, seu ordinibus condendi.*

IX.

Ibid. *Cum aliquid contra Euangelium docent aut statuunt, tunc habent Ecclesiæ mandatum Dei quod obedientiam prohibet.*

Licet

XX.

Licet tamen Episcopis seu Pastoribus facere Ordinationes, vt res ordine gerantur in Ecclesia, non vt per illas mereamur gratiam, aut satis faciamus pro peccatis, Aut obligentur conscientiæ, vt iudicent esse necessarios cultus, ac sentiant se peccare cum sine offensione aliorum violant. Ibid. De his rebus postea latius

XXI.

Tales Ordinationes conuenit Ecclesias propter caritatem & tranquillitatem seruare, eatenus ne alius alium offendat, vt ordine, & sine tumultu omnia fiant in Ecclesijs. Verum ita ne conscientiæ onerentur. Ibid.

XXII.

Oportet liberum vsum talium ordinationum relinqui, modo scandala vitentur ne iudicentur esse cultus necessarij, Apologia Auguſt.

sarij, sicut plærąq; ordinauerunt ipsi Apostoli, quæ tempore mutata sunt. Neq; ita tradiderunt, vt mutare non liceret. Non enim dissentiebant à suis scriptis, in quibus magnoperè laborant, ne Ecclesiam opprimat opinio, quod ritus humani sint necessarij cultus.

XXIII.

Ibid. *Placet nobis vetus partitio potestatis in potestatem ordinis & potestatem Iurisdictionis. Episcopus habet potestatem ordinis, hoc est, ministerium verbi & Sacramentorum. Habet & potestatem Iurisdictionis, hoc est, autoritatem excommunicandi & absoluendi.*

XXIIII.

Philip. Disput. *Manifestum est idem significare in sacris literis potestatem Ecclesiasticam & claues.*

Ad

XXV.

Ad potestatem ordinis pertinet quoque ius Vocationis, hoc est, ius eligendi & ordinandi ministros. Ibid.

XXVI.

Apostoli propriè sunt, qui in nouo Testamento, immediatè sunt missi ab ipso Deo. Luth. Gal.

XXVII.

Eadem & æqualis Apostolorum est potestas. Smalcald. Confessione.

XXVIII.

Nulla inter Apostolos fuit superioritas vel maioritas. Sed tanquam pares ad commune ministerium Euangelij sunt missi. Ibid.

XXIX.

Petrus non fuit superior cæteris Apostolis. Habuit commune cum cæteris Apostolis vt Ecclesiam pasceret. Ibid.

XXX.

Ibid. Pascere est docere verbum, Seu Ecclesiam verbo regere.

XXXI.

Ibid. Paulus non fuit inferior Petro.

XXXII.

Smalcald. Confeß. Petrus quanquam fuit Apostolus: Tamen non voluit Episcopis vel Pastoribus esse superior.

XXXIII.

Ibid. Paulus exæquat ministros omnes.

XXXIIII.

Ibid. Omnes ministri verbi sunt æquales & Ecclesia est supra ministros.

XXXV.

Ibid. Potestas Apostolorum & omnium, qui præsunt Ecclesijs est eadem, siue vocentur Pastores, siue Presbyteri, siue Episcopi. Nullus alterius est Dominus vel seruus.

Dono-

XXXVI.

Donorum dissimilitudo non facit superioritatem. Imo ne quidèm propter dona quis est Christianus. *Lutherus contra papatum.*

XXXVII.

Christus collocans in disputatione Apostolorum in medio puerum significat non futurum principatum inter ministros. *Smalcald. Confeß.*

XXXVIII.

Error est & peccatum contendere in Ecclesia de Primatu. *Philip. Postil. Ecclesiast. Et Lutherus prolixe contra malignum Eccij iudicium.*

XXXIX.

Talis erit forma regiminis in Ecclesia, vt nulla sit superior potestas gubernans. Christus vult regi Ecclesias verbo suo, non autoritate humana, non gradibus Episcoporum. *Philip. Postil. Ecclesiast.*

XL.

Etsi est æqualitas Arithmetica gu-

bernatorum in Ecclesia quia Christus non vult quenquam excellere potestate, Tamen est inæqualitas donorum.

Ibid. Ita fit Geometrica proportio, cum videlicet excellentes donis diligenter consulunt inferioribus & antecellunt eos autoritate. Et contra infirmiores obtemperant & cedunt excellentioribus propter verbum Dei.

XLI.

Ibid. Verbum erit Rector in Ecclesia, non personæ vel gradus personarum, non humana ratio. Ideo vult recipi puerum in nomine suo, id est verbum afferentem.

XLII.

Ibid. Vt infantes sunt humiles, nihil adhuc de regno disputant, Non sibi sumunt imperium in alios, & accipiunt dictata, à fortioribus & grandioribus quos

quos metuunt, Sic Christus detrahit potestatem gubernatoribus Ecclesiæ, & vult Episcopos sine imperio circumferre dictata in Euangelio tradita.

XLIII.

Non erant contenti Apostoli quod inter se æquales essent, sed etiam vt alter altero esset superior. Hæc contentio frequens fuit inter Apostolos. Brentius in Matth.

XLIIII.

Ratio iudicat esse deformitatem, ἀταξίαν & pernicioſum errorem, ministros verbi omnes debere esse æquales, mandato, vocatione & potestate. Luth. Postildomest.

XLV.

Hanc voluit cauere Pontifex, & exemplo politico gradus personarum inuexit in Ecclesiam. Sed sciendum est verbum debere esse in Ecclesia rectorem. Ibid.

XLVI.

Ibid. Est tamen in gubernatione Ecclesiastica ordo & discrimen. Differentia, scilicet donorum, non potestatis.

XLVII.

Confeß. Smalcald. Omnis qui præest Ecclesijs in literis Apostolicis, & Episcopus & Presbyter est.

XLVIII.

August. Confeß. Quibus commissum est ministerium verbi & Sacramentorum, hi omnes sunt Episcopi.

XLIX.

Smalcald. Confeß. & Loc. Germ. Iure diuino non sunt aduersi gradus Episcopi & Pastores.

L.

Ibid. Pastores Presbyteri, Episcopi ijdem sunt in literis Apostolicis.

LI.

Ibid. Episcopi eiusdem sunt meriti & Sacerdotij in quacunq; fuerint vrbe.

Mini-

LII.

Ministerium noui Testamenti non est alligatum locis & personis. Ibid.

LIII.

Quisquis credit S. Sanctum per Paulum loqui is facilè videt per locum Pauli Tit:1. Te reliqui in Creta vt constituas oppidatim Presbyteros, hoc est Episcopos: hanc ordinationem & institutionem diuinam in Ecclesia præscribi, vt in quolibet oppido multi sint Episcopi, vel ad minimum vnus. Luth. de abusu Missæ.

LIIII.

Idem confirmant loca, Philip. 1. Omnibus sanctis qui sunt Philippis, cum Episcopis & Diaconis. Et Acto: 20. vbi alloquitur Paulus Presbyteros vnius ciuitatis Ephesinæ. Attendite vobis & vniuerso gregi in quo Spiritus Sanctus vos posuit Episcopos.

LV.

Ibid. *Episcopi Paulo sunt honesti & pij viri in ciuitate, viuentes in coniugio, Idq; tot, quot ad pascendum populum sunt necessarij, quos nunc Pastores vocamus & capellanos.*

LVI.

Ibid. *Etiamsi omnes Angeli, & totus mundus contradicerent, anne pium hominem id mouere debebat?*

LVII.

Ibid. *Itaq; & Petrus vult in 1. Cap. 5. vt in quolibet grege ouium multi sint Presbyteri & Episcopi, planè iuxta constitutionem Pauli.*

LVIII.

Smal. Confeß. *Humana autoritate in remedium Schismatis, ne vnus quisq; ad se trahens Ecclesiam Christi rumperet, distincti sunt gradus Episcopi & Presbyteri*

byteri seu Pastoris, Idq; loquitur res ipsa, quia potestas eadem est.

LIX.

Vna res fecit inter Episcopum & Presbyterum solo iure humano discrimen, videlicet Ordinatio.

LX.

Synodus Nicena constituit vt quælibet Ecclesia suum eligeret eptscopum, idq; de diuina traditione & Apostolica obseruatione.

Confess. Smalc. Latini. & Germa.

Luth. de abusu Missæ

LXI.

Apostolica est constitutio, vt cuilibet oppido tàm paruo quàm magno ad minimum vnus detur Episcopus.

Item contra falsò nominatum statum spiritualium vel Ecclesiasticorũ sæpissimè.

LXII.

Apostolorum temporibus cum omnium optimè constituta esset Ecclesia quælibet ciuitas, etiamsi minima eius pars ad Christum esset conuersa, suum ha-

Luth. Concio. de bonis operibus.

habebat Episcopum. Quid igitur putas expectandum esse cum hic tot oppidorum, ille plurium, tertius Oecumenicus, quartus dimidij orbis vult esse Episcopus.

LXIII.

Luth. vt sup. 61. sent.

Ex Diabolo est si quis plurium ciuitatum Episcopus sit & esse velit, maxime si abrogatis singulorum oppidorum Episcopis talis esse velit.

LXIIII.

Luth. serm. de bonis operibus.

Episcopo cuiuslibet oppidi, si suum à Spiritu Sancto præscriptum velit facere officium, id vnum oppidum reuera plus imponit oneris, quàm rectè sustinere possit.

LXV.

Luth. contra falsonomiam Ecclesiæ.

Omnes Sancti Episcopi vnius tantum ciuitatis fuerunt Episcopi, vt cypria-

Cyprianus, Hilarius, Ambrosius, Augustinus Irenæus.

LXVI.

Hi secuti sunt Constitutionem Apostolicam. Ibid.

LXVII.

Quamquam quidam inter eos exemplo Titi ab alijs fuerant ablegati vt alibi constituerent Episcopos: Tamen propterea non fuerunt plurium oppidorum Episcopi. Ibid.

LXVIII.

Imo etiamsi fuissent, tamen propterea ne eorum exempla plus valerent quàm verbum Dei? Ibid.

LXIX.

Episcopi oppidorum omnium æquali debent esse potestate. Luth. vt supra sen. 61 & Confess. Smalc.

LXX.

Non potest melius gubernari Ecclesia

Confeß. Smalcald.

clesia & conseruari, quam vt sub vno capite Christo omnes viuamus, Episcopi omnes æquales sint officio, etiamsi dotis sint dissimiles. Sic Presbyteri Alexandrini simul gubernarunt Ecclesiam. Fecerunt idem quoq; Apostoli. Hæc exempla postea secuti sunt Episcopi per totum orbem terrarum, donec Papa caput suum efferret super omnes.

LXXI.

Luth. in præfatione Epistolæ Hieronymi ad Euagrium.

Tempore Hieronymi, Sicut & Ambrosij, & Augustini, nullus fuit archiepiscopus in Ecclesia. Nullus Patriarcha. Nullus Primas. Nullus Metropolitanus, multo minus Papa seu Oecumenicus Pontifex. Deinde ipsi Episcopi ijdem qui Presbyteri, & è contra.

Deniq

LXXII.

Deniq; Episcopus Eugubij, non longe à Roma oppiduli, æqualis erat ipsi Romano Episcopo. Heu quantus Hæreticus erat futurus Hieronymus si hodiè viueret vir Sanctus. Et mirum quod non millies eum damnent. Ibid.

LXXIII.

Vocabulum Papa fuit commune nomen Episcoporum. Ibid.

LXXIIII.

Euidens est totam illam Hierarchiam Papalem, esse doctrinas hominum seu Dæmoniorum veriùs, per Hypocritas falsiloquos introductas. Ibid.

LXXV.

Eo tempore, quod mirum est, nec differentia donorum & gratiarum spiritualium faciebat superiores Episcopos, nec loci dignitas, nec senium. Ibid.

Qui

LXXVI.

Ibid. *Qui ferre non potest vt Romanus Episcopus Eugubiensi sit superior, Quid quæso inueniret in papa, quod non vsq; ad mortem execraretur.*

LXXVII.

Ibid. *Et hæc omnia nos miseri, potentia sacrilega & abominanda adacti sumus adorare, velut iure diuino firmata decreta.*

LXXVIII.

Lutherus de instituendis ministris Euangelij ad Bohemos. *Si multæ ciuitates, modo qui à Spiritu Sancto est præscriptus, suos eligant Episcopos, tum poterint Episcopi illi, si velint, inter sese conuenire, & vnum vel plures ex sese eligere qui maiores illorum sint, id est, qui illis ministrent & visitent illos, sicut Petrus visitauit Ecclesias in Actis Apostolorum, donec Bôemia redeat ad legitimum*

timum rursus & Euangelicum Archiepiscopatum, qui non multis censibus & ditionibus, Sed multis ministeryjs & visitandis Ecclesijs dives sit.

LXXIX.

Augustinus sequens Epiphanij autoritatem in condemnando Aerio, si admonitus fuisset & si vterq; in consilium adhibuissent scripta Pauli ac consuetudinem vetustioris Ecclesiæ, certè pro pietate sua, sententiam suam mutassent. Brentius Apolog. de ordine.

LXXX.

In traditionibus humanis paulatim ad absurdiora gradus fiunt. Initia autem & semina minus conspiciuntur, vt dicitur: Dato vno inconuenienti multa sequuntur. Augent enim Diaboli furores in impijs. Loquitur ergo Paulus de multis quæ minus habent Philip. Colloss.

absurditatis, vt initio vtilitatis causa constitutum est, vt tres essent præcipui Episcopi, Romanus, constantinopolitanus & Alexandrinus quorum singuli haberent autoritatem conuocandi Synodos vicinorum, & vt ad eos fieret prouocatio à vicinis. Hic Triumuiratus humano iure constitutus est. Et tunc vtilitas mouit Synodos. Postea verò Romanus Papa multa tyrannicè affinxit, Se iure diuino summum esse Episcoporum, habere potestatem condendi dogmata & cultus, Se habere vtrumq; gladium. Deinde vt fit in aulis multi præstigiatores sine modo amplificauerunt autoritatem Pontificiam.

LXXXI.

Confeß. Smal. Gregorius scribens ad Alexandrinum Patriarcham, vetat se appellari vni-

vniuersalem Episcopum. Et in Regestis dicit in Synodo Chalcedonensi oblatum esse primatum Episcopo Romano, nec tamen acceptum.

DE ELECTIONE ET VOCATIONE MINISTRORVM VERBI ET EPISCOPORVM.

LXXXII.

Necesse est Ecclesiam vbicunq; ea est retinere ius vocandi, eligendi, & ordinandi ministros. Smalcald. Confess.

LXXXIII.

Hoc ius nulla humana autoritas eripere Ecclesiæ potest. Ibid.

LXXXIIII.

Claues Ecclesiæ sunt datæ principa-

Ibid. ex Luthero ad Bohemos. cipaliter & immediatè non certis personis.

LXXXV.

Confeß. Smalcald. Ob eam causam Ecclesia principaliter habet ius vocationis.

LXXXVI.

Ibid. Sola vera Ecclesia vbicunq; est habet Ius administrandi Euangelij. Sola habet Sacerdotium. Ergo & certè Ius eligendi & ordinandi ministros.

Philip. Disput. LXXXVII.

Ingens beneficium Dei est, quod concessit hominibus ius vocationis. idq; approbat, & testatur se per verbum illud futurum efficacem.

LXXXVIII.

Ibid. Hanc Ordinationem seu vocationis dignitatem magnoperè refert intelligere, vt magnitudinem beneficij Dei

Dei consideremus, & vt magis veneremur & amemus ministerium verbi.

LXXXIX.

Nam neq; saluat Deus sine illo ministerio, quod ipse ordinauit. Neq; Ecclesia existere potest extincto hoc ministerio. Ibid.

XC.

Ius vocandi & eligendi ministros, pertinet non tantum ad populum, Sed Paulus iubet Titum constituere Presbyteros. Et Timotheo scribit: Nemini citò manum impone. Ibid.

XCI.

Necesse est igitur Pastores à Pastoribus ordinari. Ibid.

XCII.

De diuina traditione & Apostolica obseruatione diligentèr seruandum est, & tenendum, quod apud nos quoq;

Confeß. Smalcald. ex Cypriano.

& ferè in omnibus prouincijs tenetur, vt ad ordinationes ritè celebrandas, ad eam plebem, cui Præpositus ordinatur, Episcopi eiusdem prouinciæ proximi quiq; cõueniant, & Episcopus deligatur, plebe præsente, quæ singulorum vitam plenissimè nouit.

XCIII.

Ibid. & in Disput. Philip.

Veteri more & communissima Ecclesiæ consuetudine eligebat populus vel Ecclesia, hoc est, quibus eam commisit Ecclesia Pastores & Episcopos. Deinde accedebat Episcopus seu eius Ecclesiæ, seu vicinus, qui iudicio & approbatione sua confirmabat electum impositione manuum.

XCIIII.

Pugnat cum iure diuino & cum veteri Ecclesia δημοκρατία, in qua populus

pulus ad se rapit electionem sine iudicio & approbatione Pastorum. Philip. Disput.

XCV.

Plurimum refert quales sint Pastores & cæteri Doctores & ministri Ecclesiarum, ac ne idonei præficiantur, potissimum ex his duabus causis accidit: Vel quia Patroni & collatores commendant indoctos & ignauos, Aut propter priuatam beneuolentiam, Aut corrupti pecunia, Aut propter alias causas non probandas. Vel quia Episcopi sine delectu, sine exploratione admittunt quoslibet & cum non afficiantur cura salutis Ecclesiarum, nec doctrinam, nec mores Pastorum inquirunt. Nec præficiunt inspectores, qui indoctos erudiant. Actis Vuormaciens.

XCVI.

In eligendis Pastoribus etsi ius

Ibid. *Patronis vellemus adimi, tamen nec Patroni præficiant Pastores non prius commendatos aliquo testimonio Ecclesiæ, hoc est honestorum hominum in eo cœtu, cui datur Pastor.*

XCVII.

Ibid. *Liceat Ecclesijs reijcere impios aut non idoneos, aut referre rem ad Episcopos, aut eos qui loco Episcoporum sustinent gubernationem Ecclesiasticam.*

XCVIII.

Lutherus Contra regem Angliæ. *Loci ad Tit. 1. Te reliqui in Creta etc. non potest alius esse intellectus quàm Titum non debere solùm, sed electione & consensu totius Ecclesiæ Presbyteros constituere.*

XCIX.

Qui verbi ministrum rectè docentem & irreprehensibiliter viuentem pro-

propterea odiunt & pellunt, quod scelera durius taxat, hi insidys & malitia Diaboli inuidentis ipsis salutem æternam eò perducuntur, vt in Christum summum Pastorem & Episcopum iniury sint. Luth in Epistola quæ extat Tom 8. Ienenens. Germ.

C.

Indignissimum est propter merita summa videlicet annuntiationem verbi & administrationem Sacramentorum hac Pastores afficere iniuria. Ibid.

CI.

Qui hanc iniuriam approbant lædunt conscientias propter Diabolum à quo præmium consequentur, Primo vt impingant in lapidem Anguli & in eum qui ignis est consumens. Deinde vt faciat ne credant, inuocent, Deum laudent, attollant ad eum oculos in necessitatibus. Præterea vt sint vna se- Ibid.

na secum, causa condemnationis aliorum multorum. Ad hæc vt à scholis, à studio Theologico alios absterreant & quantum in se est, ministerium deleant. Postremo vt ad impœnitentiam perducat, ad quam cum peruentum est, iam actum est cum homine.

CII.

Ergo cum Pastore & Ecclesia, hoc est, cum Christo ipso illis, qui sic affecti sunt, quam primum in gratiam est redeundum, ne alys exemplum horrendæ iræ Dei fiant. Ibid.

CIII.

Plus Deo est in vno Pastore bono & fideli quàm in Magistratibus omnibus toto orbe terrarum. Nam per officium Magistratus non peruenitur ad regnum cœlorum, Quod fit per ministerium. Ibid.

Qui

CIIII

Qui Pastorem suum audire non vult, is sine gratia Dei potest abesse à templo. Ibid.

CV.

Non ideo templa sunt condita & Parochiæ constitutæ, vt ex ijs pellantur qui verbum Dei docent & audiunt & relinquantur illis qui verbo Dei non habent opus, nec audire illud volunt. Ibid.

CVI.

Magistratus non est Dominus Pastorum & ministerij Euangelici. Is non fundauit hæc. Sed filius Dei solus. Nihil quoq; contulit ad ea Magistratus, Et multò minus hic habet iuris quàm Satan in regno cœlorum. Ibid.

CVII.

Itaq; nec reformabit & docebit Pasto-

Ibid. Pastores. Non impediet quoq; ne arguant peccata. Quia hoc arguere Dei est, non hominum, qui non vult frenum ei injici, sed mandauit illud.

CVIII.

Ibid. Curet Magistratus officium suum, & non inuadat Dei regimen, ne quando irascatur Dominus.

CIX.

Ibid, Nemo est qui possit ferre ab alieno suum dimitti vel domo pelli seruum quo carere non potest. Imo ne vilissimus quidèm seruus à Domino alieno verba duriora ferre vult.

CX.

Ibid. Interea Dei ministri omnium debent esse expositi odijs, calumnijs, & iniurijs & ab omnibus ferre omnia, cum nihil ferri possit eorum quæ ab ijs fiunt

fiunt ne quidem ipsum Dei verbum, cui annunciando destinati sunt.

CXI.

Hæc commonefactio accipienda est, quia Dei est commonefactio. Ibid.

CXII.

Nihil opus est illos qui secus faciunt excommunicare, cum semetipsos à communione Ecclesiæ excludant. Ibid.

CXIII.

Qui nulla alia de causa Pastorem loco mouent, quàm quod taxauit peccata, ij etiamsi alium consequuntur Pastorem, tamen non possunt esse Christiani nec participes fieri gratiæ & vitæ Christianorum. Ibid.

CXIIII.

Debebant quoq; omnes Pastores sibi cauere à talibus Apostatis sustinentibus tale nomen quod per vim & iniu- Ibid.

iniuriam suum Pastorem remouerint, & tamen cum ignominia nomen Christianum gerunt.

CXV.

Ibid. Res pessimi est exempli quemlibet Magistratum ad suum arbitrium, & cupiditate priuata pellere concionatores, nec Deus id feret, vel ferre potest.

CXVI.

Ibid. Satis habent miseri Pastores miseriarum. Itaq; Magistratus eos solari & defendere debebat, non nouas molestias ijs creare.

CXVII.

Ibid. Non honorans Pastorem non honorat filium Dei h. e. verbum quod sanguine suo precioso nobis meruit.

De

DE ORDINATIONE.

CXVIII.

Ordinatio olim nihil fuit aliud, quàm comprobatio, qua Pastor & Episcopus à populo electus impositione manuum confirmabatur, Seu ab eiusdem Ecclesiæ Episcopo, Seu à vicino. *Smalcald. Confeß.*

CXIX.

Ordo est quidam ritus Ecclesiasticus, quales multi alij quoq; per Ecclesiasticos Patres sunt introducti, vt consecratio domorum, vestium. *Luth. de Cap. Babylon.*

CXX.

Ordinis Sacramentum, si quicquam est, aliud esse non potest, quàm ritus quidam eligendi concionatores in Ecclesia. *Ibid.*

clesia, vel vocandi alicuius in ministerium Ecclesiasticum.

CXXI.

Philip. Locis. Ordinatio est vocatio ad ministerium Euangelij, & publica eius vocationis approbatio.

Loc. Germanic. Ordinatio nihil est aliud quàm post explorationem doctrinæ, vocatum confirmare, sic vt aliquæ Ecclesiæ personæ manus suas illi imponant, & ministerium ex mandato diuino ei commendent, Deumq; orent vt vocato donet Spiritum Sanctum, eum regat & per illum sit efficax.

Ibid. Ecclesia inde vsq; à temporibus, Apostolorum, aliquot seculis hunc retinuit morem, vt Episcopos eligeret ex omnibus gradibus, per pios & honestos cuiusq; Ecclesiæ homines. Ad eam rem vocabantur ex proximis oppidis duo vel

vel tres Episcopi, qui electi doctrinam audirent & postea confirmarent.

Ecclesia eligebat & suffragia dabat. Sed Episcopi, qui accersiti erant, explorabant vocati doctrinam & postea Ceremoniam confirmationis vel approbationis, cum impositione manuum seruabant, Sicut hic mos in Cypriano, Augustino, & multis veterum conciliorum decretis, multis item historijs descriptus extat. Ibid.

Facilè autem est in Decretis & historijs obseruare, quomodo paulatim hic primus & vetustissimus mos per Papam sit mutatus, qui electionem ad solos reiecit Canonicos, sibi reseruans Confirmationem. Quod non sic in veteri Ecclesia vsitatum fuit. Qua de causa & multi, Papæ se opposuerunt.

CXXII.

Philip. Timoth. *Necessaria membra ordinationis sunt hæc, vocatio ad ministerium, Exploratio doctrinæ, indicare vocatos Ecclesiæ, Approbatio vocationis, Præcatio.*

CXXIII.

Ibid. *Impositio manuum, collocatio libri supra caput & similes ceremoniæ sunt mutabiles.*

CXXIIII.

Ibid. *Sed tamen cum in Ecclesia deceat omnia fieri ordine, esse aliquem ritum ordinationis sine superstitione vtile est.*

CXXV.

Confeß. Smalcald. & Loc. Germ. *Cum iure diuino non sint diuersi gradus Episcopi & Pastores, manifestum est ordinationem à Pastore in*

sua

sua Ecclesia factum iure diuino ratam esse.

CXXVI.

Vbicunq; est Ecclesia, Ibi est ius administrandi Euangely. Ergo & ius eligendi & ordinandi ministros. Confeß. Smalcald.

CXXVII.

Cum Episcopi ordinarij, hoc est, qui autoritate humana ordinant ministros verbi in pluribus Ecclesijs, fiunt hostes Ecclesiæ, aut nolunt impertire ordinationem, Ecclesiæ retinent ius suum, sicut in casu necessitatis absoluit etiam Laicus. Ibid.

CXXVIII.

Vna res humana autoritate fecit discrimen Episcoporum & Pastorum, videlicet ordinatio. Confeß. Smalcald. & Loci Germ.

CXXIX.

Vna ordinatio discernebat Epi-
Ibid. scopos à reliquis Presbyteris.

DE INSTI-
TVTIONE.

CXXX.

Luth. ad nobilit. Germ. Inuestitura Episcoporum olim pertinuit ad Imperatores Romanos, Sicut in Gallia & alijs regnis aliquot adhuc Reges eam vsurpant.

CXXXI.

Ibid. Multa Pontifices cum Imperatoribus propter inuestituram gesserunt bella. Multum de ea concitarunt turbarum, donec proteruitate & vi eam ad se rapuerunt & retinuerunt.

CXXXII.

S. Gregorius cum Episcopus Romanus à plebe & Sacerdotibus eligeretur

retur per literas petijt ab Imperatore Mauritio, ne talem electionem confirmaret. Inuitus enim fiebat Episcopus vt vir humilis & pius. Luth. contra Papat.

CXXXIII.

Locus Tit. 1 Te reliqui vt constituas oppidatim Presbyteros, nequaquam Episcopo soli tribuit potestatem ordinandi vel Presbyteros constituendi: Sed mandat id pijs Pastoribus omnibus. Imo non potest huius loci alius esse intellectus, quàm Titum non debere solum nec Pastores solos, Sed electione & consensu totius Ecclesiæ, Episcopos constituere. Luth. aduersus regem Angl. Et Philip. Locis maxime Germ.

CXXXIIII.

Dictum Tit. 1. constitue Presbyteros vt iussi, testatur Deum verè efficacem esse per ministerium eorum qui voce Ecclesiæ electi sunt. Philip Locis.

CXXXV.

Philip. Ethi. *Minister Euangelij seu Pastor commendet etiam vocatis ministerium Euangelij.*

CXXXVI.

Philip. Disput. *Ius vocandi & eligendi ministros pertinet non tantum ad populum, Sed Paulus iubet Titum constituere Presbyteros. Et Timotheo scribit: Nemini citò manus impone.*

Luth. contra regem Angl. & libro de causis cur ad quamlibet Ecclesiam pertineat iudicium de doctrina & electio ministrorum.

CXXXVII.

Nullus Apostolorum solus, Imo ne omnes quidem simul, vel minorem ordinem, quem vocant h. e. Diaconatum audebant conferre, Sed conuocarunt multitudinem discipulorum, quæ elegit & constituit eos cum Apostolis.

De

DE SYNODIS.

CXXXVIII.

Synodi nec condunt, nec possunt condere vllos nouos articulos fidei, Non gignunt dogmata noua aut nouas interpretationes, cum non recipienda sit vlla doctrina de essentia & voluntate Dei nisi haec vna, quae per Prophetas & Apostolos tradita est.

Phil. Sym. Nic. vnde decem sequentes de Synodis sententiae sunt desumptae.

CXXXIX.

Tantum igitur sunt testes seu testificationes de aliquo veteri dogmate, quod testantur se amplecti, quia non sit commenticium seu nouum, sed vera autoritate in ipsis scriptis Propheticis & Apostolicis traditum, quorum collatione conuinci se ostendunt, eam sententiam quam profitentur veram

& incorruptam esse & ab ipsa scriptura acceptam & huius testimonij memoriam tradunt posteris.

CXL.

Adiuuari tamen Synodus & alijs certis testimonijs potest, quæ per Apostolos tradita esse ex veris monumentis constat.

CXLI.

Reijcit Synodus Antiochena impias Samosateni corruptelas, quæ prophanis iudicijs concinnæ videbantur. Hîc nec Dionysio Alexandrino, nec Gregorio Neocæsariensi, nec vlli homini aut Angelo quantumuis magna sapientia & virtute prædito, hæc potestas tribuenda fuit, vt de re tanta statueret suo iudicio sine Dei voce, cum nec Angelis nec hominibus propria autoritate asseuerantibus aliquid

quid in Ecclesia credendum sit, Sed reycit Samosatenum, quia scit eius corruptelas pugnare cum vera sententia, quam Deus de filio patefecit.

CXLII.

Sicut singulos priuatim, tum Pastores, tum alios, si quando contraria dogmata proferuntur, necesse est, sua Confessione testimonium suæ fidei ostendere, qui nõ gignunt dogmata noua hac testificatione: Ita in Synodis multi suas testificationes recitant. Vult enim Deus esse iudicia doctrinæ in Ecclesia, quæ Synodi vocantur, et sunt veræ Synodi, cum rectè iudicant, id est, cum veram Confessionem seu veram testificationem edunt, quocunq; modo conueniant, siue Regum autoritate, siue priuatis studijs.

CXLIII.

Confessio docentium in nostris Ecclesijs, est velut vox Synodi, in qua testimonijs perspicuis & euidentibus refutamus errores & ad veram inuocationem, & ad veros Dei cultus Ecclesiam reuocamus.

CXLIIII.

Sed illi qui amplificant potentiam Pontificum & Synodorum contrà disputant. Clamant nos pugnantia dicere, cum fateamur esse oportere Iudicia in Ecclesia & tamen dicamus non licere Synodis gignere nouas interpretationes & Synodis id facientibus esse contradicendum, dicunt labefactari autoritatem iudiciorum, nec priuatorum reprehensione ea, quæ semel publico consilio decreta sunt, esse delenda.

CXLV.

Sed sciendum est iudicia & exe-

cutio-

cutionem in Ecclesia aliquo modo discrepare à ciuilibus iudicijs, in quibus in dubijs disputationibus & controuersijs, valet Principis aut prætoris interpretatio & autoritas, propter gradum & munus personæ, etiamsi aliquid in ea est erroris, vt sit aliquis finis ciuilium discordiarum & mediocris tranquillitas. Cumq; talia negocia humanæ rationi sint subiecta, minus in ijs erratur.

CXLVI.

In iudicijs verò doctrinæ in Ecclesia, non valet Episcoporum aut similium Doctorum interpretatio propter gradum aut locum, Sed auditor ad iutus ab eis, quærit in dictis Propheticis & Apostolicis causas interpretationis.

CXLVII.

Et cum constat eos errare, necesse

est

est contradici, sicut nunc necesse est errores Synodi Tridentinæ taxari.

CXLVIII.

Nec id obstat quod objcitur, non fore finem dissensionum, quia in mundo talia dissidia semper fuerunt, sunt & erunt, donec ea Deus dijudicat.

CXLIX.

Nunquam maior pars Principum & populi Iudæorum approbatura erat doctrinam Apostolorum, Imo interficiunt eos, Sed Deus tandem deleta eorum Republica refutauit eos & quasi finem dissensionis fecit.

CL.

Sic & nos statuamus inter tantas dissensiones aliquos, futuros rectè sentientes, his nos adiungamus & expectemus Dei iudicium & interea se-

uitiam

uitiam hostium doctrinæ sustinendam esse sciamus.

CLI.

Sciamus quidèm Ecclesiam audiendam esse, Sed seruandam esse Pauli regulam de explorandis Spiritibus, & credendum esse verbo Dei, sine Sophistica, intellecto, & testimonijs purioris Ecclesiæ cum verbo congruentibus, à quo quicquid dissidet, reijciendum est.

CLII.

Ante cognitionem non est postulandum ab Ecclesijs vt promittant se Synodi decretis obtemperaturas esse, si rectè pronunciatum fuerit obtemperandum est, Sin minus, aduersari necesse est.

CLIII.

Quod si defensores Synodi volent

eius

eius autoritatem tueri pij ferant iniuriam, & se Deo iudici commendent, sicut Apostoli condemnati à Synagoga iniuriam ferebant.

CLIIII.

Quærunt & hoc aliqui. Cum duo sint cætus in Ecclesia inter se dissentientes, vnde sciendum est, vter rectè sentiat, cum vterq; pro se citet scripturam, & sæpe ea pars quæ errat antecellat autoritate & multitudine, habeat pro sua opinione patrum exempla & scripta. Habeat & longæ consuetudinis testimonium, quæ multum apud homines valet.

CLV.

Hîc non decurrendum est, quod faciunt viri politici, ad similitudinem ciuilium iudiciorum, in quibus quid fiat paulo antè dictum est. Nec audiendi sunt qui

qui contendunt non ex solis scriptis Propheticis & Apostolicis & Symbolis pronunciandum esse: Sed & ex communi consensu & voce Catholicæ Ecclesiæ, quæ errare non possit, cum singuli homines errare possint ac potuerint.

CLVI.

Sed opponenda est huic imaginationi hæc immota sententia: Si quis aliud Euangelium docet Anathema sit. Vbi igitur manifesta sunt dicta Prophetica & Apostolica & manifestum est dissentire consuetudinem aut scriptores, quorum plurimi imitantur suæ ætatis ritus, ibi facilis est dijudicatio. Necesse est enim anteferri vocem Dei dictis hominum.

CLVII.

Ad certitudinem autem in locis

ob

obscurioribus in quibus videtur ambiguitas esse, sciendum est, nunc post promulgationem & confirmationem doctrinæ, non esse petenda noua miracula, quæ tamen semper fiunt in Ecclesia, quanquam non omnia conuincant impios, Sed certi sunt & pij iudices & pij auditores ex ipsis fontibus Propheticis & Apostolicis, quorum natiuam sententiam ex proprietate verborum & ex collatione diuinarum concionum, agnoscimus. Nec verum est literam ambiguam esse. Deinde & ex alijs sinceris testimonijs Symbolorum & congruentibus probatiorum scriptorum assseuerationibus. Hæc pijs satisfaciunt.

CLVIII.

Semper Deus seruat aliquem cœtum, qui est vera Ecclesia ne desint vllo

Vllo tempore testes de vera doctrina, seu multi seu pauci.

CLIX.

Hæc vera Ecclesia inter cætera dona Spiritus Sancti & hoc habet, quod reipsa est fides, qua mentes cedunt verbo Dei, amplectentes dicta Apostolica in ea sententia, quam collatio ostendit esse natiuam, Nec anteferunt humanam sapientiam, Sed vt Paulus præcipit, redigunt se in hanc piam captiuitatem vt obediant Christo & reuerenter amplectantur verbum Dei & Dei sapientiæ se subijciant.

CLX.

Hæc fides reipsa est donum interpretationis, Quod est lux fidei crescens in ipsis exercitijs pœnitentiæ, in pauoribus, in persecutione & consolationibus.

CLXI.

Acquiescit igitur hoc modo vera Ecclesia, contenta mandato isto: Hic est filius meus dilectus, Hunc audite. Cumq; recipiat sermonem diuinum sine contumacia adiuuatur à Spiritu Sancto, vt Iohannes inquit. vnctio docet vos, scilicet, per sermonem diuinum.

CLXII.

Quod autem reclamant impij sibi nondum hoc modo satisfactum esse. Talium clamorum finis non erit in hac confusione generis humani. Semper erunt aliqua Diaboli organa, quæ veritati aduersentur. Sed Deus tandem dijudic at tales deleta vna parte nec dirimi possunt per homines, autoritate regia aut prætoria.

CLXIII.

Magna est multitudo impiorum, qui

qui suam sapientiam anteferunt sermoni diuino & satisfieri sibi nolunt, Nec videri volunt perspicuè conuicti, qui in hac contumacia magis excœcantur. Manent igitur certamina propter impiorum pertinaciam. Sed propter hanc non existimetur sermo diuinus incertus esse & similis folys Sybillæ.

CLXIIII.

In Synodis quæramus ac eligamus doctos iudices potius quàm indoctos. Nomino autem doctos qui rectè didicerunt doctrinam cœlestem & amant veritatem & bono studio inquirunt eam, & longo vsu & exercitijs fidei aluerunt eruditionem & quos vita ostendit non esse prophanos aut fascinatos superstitione. Horum aliquos habere Spiritum Sanctum non dubium est.

CLXV.

Multum singulis temporibus valet publica eius ætatis persuasio, quæ plerumq; aliquid erroris admiscet doctrinæ. Hi errores deprehendi & emendari possunt cum reditur ad fontes.

CLXVI.

Philip. Chron. *Dignissimum est opus sapientibus & magnis Principibus iusto modo & ordine tollere dissidia Ecclesiarum indicere & recte regere Synodos.*

CLXVII.

Chron. *Non rectè sentiunt qui dicunt curam indicendi Synodos & sententias in illis dicendi & habendi voces decisiuas ad solos Episcopos pertinere. Quia iudicium illud non est vnius gradus sed omnium membrorum ecclesiæ, quæ*

quæ sunt idonea ad iudicandum & hunc morem purior probauit Ecclesia. Cum igitur dissidia oriuntur etiam politica potestas curet legitimam cognitionem instituí.

CLXVIII.

Legitima cognitio est hæc vt norma iudiciorum Ecclesiæ, sint scripta Prophetica & Apostolica & Symbola. Sic igitur rectè reguntur Synodi cum non discedítur à norma, nec assentantur Synodi aut multitudini aut Tyrannis aut seruient alienis odijs: Sed Doctores & alia membra Ecclesiæ idonea, & ipsi principes re inquisita, iuxta hanc normam dicunt sententias. Chron.

CLXIX.

Vt Constantinus inter episcopos assedit, quos initio hortatus est ad placidam collationem & ad inquisitionem Chron.

veritatis, omissa Sophistica & deposita animorum acerbitate. Sicut ait: Valde lætor me fuisse vestrum comministrum, donec omnium conueniens inquisitio facta est, Vt Martianus exemplo Constantini, ipse disputationi interfuit, ne seditiosis tumultibus facultas dicendi sententias impediretur: Ita pijs Magistratibus hæc exempla imitanda sunt.

CLXX.

Chron. Exemplum Theodosij secundi, sub quo in Synodo Ephesina altera, sic acta sunt omnia, vt nominata sit λῃστρικὴ h. e. latronum concursus: monet vt in conuocandis Synodis circumspecti sint Principes. Cumq; hæc acta Theodosio alioquin bono Principi notam asperserint, simus memores humanæ infirmitatis & errores agnoscamus.

Cum

CLXXI.

Cum pia cognitione, audita vtraq. parte, quod præcipit lex diuina & naturalis, veritas est patefacta, postea fiat executio. Doctores refutent & damnent blasphemias. Potestas politica prohibeat externam professionem impiam. Remoueat blasphemos ne virus suum aspergant, Hoc modo singuli Principes in suis ditionibus piam concordiam tueantur. Chron.

DE IVRAMENTIS FIDELITATIS & obedientiæ.

CLXXII.

Paschalem Papam fremere & frendere tanquam obsessum multis legionibus Diabolorum, cum Archiepiscopus Palermi negaret ei iura- Luthe. Contra Papat.

mentum, & neq; scripturam, neq; vllius concilij decretum sibi id imponere af-
Ibid. firmaret.

CLXXIII.

Pascere oues Christi non esse, vt interpretatur Diabolus Pontificius: esse Papam, esse superiorem, habere potestatem, subijcere sibi Christianos, Cæsares pedibus calcare, Reges & Episcopos iuramentis sibi deuincire &
Ibid. sibi subijcere.

CLXXIIII.

Pontifex Romanus, etiamsi vrbis Romæ verus Episcopus esset: Tamen nullo iure à quoquam iuramentum fla-
Ibid. gitare potest.

CLXXV.

Cum omnes Episcopi & Ecclesiæ eorumq; ministri sint æquales nullum Ecclesiæ Episcopum, nisi politicos sub-

ditos

ditos habeat, Iuramentum à quoquam Domino politico vel ab alio Episcopo flagitare posse. Ibid.

CLXXVI.

Neminem posse Iuramentum contra Deum præstare & vt præstet perinde esse, ac si quis se Diabolo obstringat, quod cum agnoscatur, iuxta doctrinam primi & secundi præcepti rumpendum sit, vt & ipsa doceant iura. Luth. ad nobilitatem Germaneam.

CLXXVII.

Tollenda esse horrenda Iuramenta, quibus Pontifices sibi obligant Episcopos sine omni Iure, & in seruitutem eos redigunt captiuantes Episcoporum officium personas & opera.

CLXXVIII.

Vt Papa Synodos habeat; quomodo sanari potest Ecclesia, si Papa ni-

hil decerni contra arbitrium suum patiatur. Sic nemini concedat dicere sententiam nisi suis membris, quæ habet obligata horrendis iuramentis & maledictionibus, ad defensionem Tyrannidis & impietatis, sine vlla exceptione verbi Dei.

DE IVRISDICTIONE ECCLESIASTICA, ET CONSISTORIJS seu Iudicijs Ecclesiæ.

August. Confess. & Apolog.

CLXXIX.

Secundum Euangelium seu Iure diuino nulla Iurisdictio competit Episcopis, nisi remittere peccata Item cognoscere de doctrina. Item impios ab Ecclesia excludere verbo.

Vt

CLXXX.

Vt fides & bona opera tantum sunt bona Spiritualia, Ita causæ spirituales de quibus iudicabit Ecclesia tantum sunt causæ fidei, & bonorum motuum.

Luth. ad nobil. German.

CLXXXI.

Iurisdictio illa communis excommunicandi reos manifestorum criminum pertinet ad omnes Pastores. Hanc Tyrannicè ad se transtulerunt Episcopi, & ad quæstum contulerunt, & turpiter ea abusi sunt, excommunicantes sine vllo ordine iudiciorum. Rectum igitur est & hanc Iurisdictionem reddere pijs Pastoribus, & curare vt legitimè exerceatur ad morum emendationem & gloriam Dei.

Smalcald. Confeß.

Luth. ad nobilit. Germa.

CLXXXII.

Quilibet Sacerdos habet potestatem

tem soluendi omnia peccata quocunq; demum vocentur nomine, si adhuc sint occulta. Nec Abbas, vel Episcopus, vel Papa potestatem habet ea sibi reseruandi. Quod si id faciant nihil valere debet, & puniri propterea debebant. Quod autem ad manifesta & atrocia peccata contra mandata Dei attinet, hic aliquo nititur fundamento casus reseruare, sed tamen vt certus ijs statuatur modus & nemo hic priuata autoritate sine causa aliquid attentet.

Luth. par. catechis.

CLXXXIII.

Coniugium res est & ordinatio politica, quanquam fundata in verbo. Ideoq; maximè diuina.

August. et Smalcald. confess.

CLXXXIIII.

Iurisdictio in causis matrimonialibus

libus aut decimarum, Iure canonico, ad forum vt vocant Eccleſiaſticum pertinent. Smal. Confeß.

CLXXXV.

Hanc Iurisdictionem ſolo Iure humano habent Epiſcopi, & quidem non admodum veteri. Ibid.

CLXXXVI.

Ex Codice & Nouellis Iuſtiniani apparet, Iudicia matrimoniorum tunc fuiſſe apud Magiſtratus. Ibid.

CLXXXVII.

Tanta eſt varietas & magnitudo controuerſiarum matrimonialium, vt his opus ſit peculiari foro, Ad quod conſtituendum opus eſt Eccleſiæ facultatibus. Ibid.

CLXXXVIII.

Multæ ſunt iniuſtæ leges Papæ de

de negotijs matrimonialibus, propter quas Magistratus debent alia iudicia constituere.

Luth. Contra Papat.

CLXXXIX.

Quilibet Christianus habet Potestatem iudicandi & condemnandi etiam Angelum de cælo, si aliud Euangelium prædicet.

Actis. VVormac.

CXC.

Magnus abusus est quod non exercentur iudicia Ecclesiastica, nec de doctrina nec de moribus sacerdotum aut populi.

Ibid.

CXCI.

Oportet in qualibet diæcesi esse certos delectos viros, qui præsint Ordinationi & explorationi ordinandorum. Ita sint hi ijdem seu alij, qui præsint iudicijs Ecclesiasticis & visitent Ecclesias.

Ibid.

Si

CXCII.

Si collegia haberent viros doctos, pios & exercitatos expeditissimum esset legere hos iudices ex collegijs Sed addendi sunt aliqui honesti, graues & docti viri Laici. Ibid. Ibid.

CXCIII.

In singulis dioecesibus pro magnitudine plures tales decuriæ iudicum constituantur, Sed sit vna suprema, quæ velut vicaria sit Episcopi. Ibid. Ibid.

CXCIIII.

Vt habeant hæ decuriæ honesta stipendia, certæ præbendæ, seu certa collegia, seu reditus monasteriorum ad hos vsus transferantur. Ibid.

CXCV.

De omnibus criminibus hoc seruetur. Habeat suum ius Magistratus ciuilis, vt ex officio delicta Laicorum

in-

inquirit, Ita sacerdotes reos manifestorum criminum, stupri, adulterij, furti, cœdis, & similium puniat suarum legum pœnis. Et quidem docendus est Magistratus ne negligenter
Ibid. officium suum administret.

CXCVI.

Non exigua inde morum corruptio est orta, quod forum Ecclesiasticum impediuit Magistratum ciuilem, ne inquireret aut puniret adulteria.

CXCVII.

Ibid. Quia multis in locis ciuilis Magistratus, ex quadam veteri & praua consuetudine segnior est in puniendis adulterijs, Ideo Pastores & Iudices Ecclesiastici sint diligentiores in suo officio. Pastor admoneat obnoxios criminibus, adulterijs, Epicureo contemptui

ptui religionis Christianæ, blasphemis sermonibus, periurijs aut alijs criminibus. Si admonitus non pollicetur emendationem morum, deferat eum Decuriæ Iudicum. Hi re inquisita sententiam excommunicationis ferant aduersus reum, Ac Magistratui ciuili suam sententiam indicent.

CXCVIII.

Ita sint constituta iudicia, delectis certo numero viris grauibus, doctis & iustis, ne Pastor aut quisquam alius videatur odio potius reum in periculum adducere, quàm moueri ad accusandum officij ratione. Ibid.

CXCIX.

Non liceat soli Pastori ferre sententiam excommunicationis sine vlla Iudicum decuria, Aut nemine adhibito ex honestioribus viris suæ Ecclesiæ, Ibid.

Vt enim hæc vocantur iudicia Eccleſiæ, Ita ſunt plures adhibendi, vt Paulus voluit.

CC.

Tyrannis eſt inimica Eccleſiæ. Ideo ſpecies omnis Tyrannidis in Eccleſiæ iudicijs fugienda eſt. Ibid.

CCI.

In Eccleſia verbum Dei eſt ſupremus Iudex ſuper omnes creaturas, Hoc qui in vera fide habet, hic, Paulo autore, eſt ſpiritualis qui iudicat omnia & ipſe à nemine iudicatur, Non quod ad ſuam attinet perſonam, Sed propter verbum & Spiritum, qui in eo habitat & per quem loquitur & iudicat. Luth. Contra Paparum.

CCII.

Scripturæ proprium Epitheton eſt: Noli me tangere. Mitte ſcriptu-

rani,

ram, si non vis eius proprium intellectum quærere. Caue tibi ne in alienum sensum eam detorqueas aut detorquebit te in Abissum ignis infernalis, & hîc in terris te pudefaciet. Ignis est consumens scriptura. Cum tibi persuades te eam tuo sensu esse captiuaturam, in pulueres es redactus antequam id sentias. Ibid.

CCIII.

Etiamsi Papa Synodos habeat, tamen quomodo sanari Ecclesia potest, si Papa nihil decerni contra arbitrium suum patiatur, Si nemini concedat dicere sententiam nisi suis membris, quæ habet obligata horrendis Iuramentis & maledictionibus ad defensionem suæ Tyrannidis & impietatis sine vlla exceptione verbi Dei. Smalcald. Confeß.

CCIIII.

Cum Iudicia Synodorum, sint iudicia Ecclesiæ, non Pontificum (vel
Ibid. *Episcoporum,) præcipue Regibus (Haud dubiè & alijs Magistratibus) conuenit cohercere Pontificum, item Episcoporum licentiam, & efficere ne Ecclesiæ eripiatur facultas iudicandi & discernendi ex verbo.*

CCV.

Ingens est peccatum defendere
Ibid. *errores iniusta sæuitia, vi & homicidijs. Deinde & hoc eripere Iudicium Ecclesiæ, nec sinere vt ritè iudicentur Ecclesiasticæ controuersiæ & vetare cognitionem. Hoc posterius etiam plus nocet quàm vlla supplicia. Quia sublato vero iudicio Ecclesiæ, non possunt tolli impia dogmata, & impij cultus,*

tus, & multis seculis infinitas animas perdunt.

CCVI.

Error est defugere & impedire veram cognitionem & verum iudicium Ecclesiæ. Ibid.

CCVII.

Ex autoritate Cypriani. Cum statutum sit omnibus nobis & æquum sit pariter ac iustum, vt vniuscuiusq; causa illic audiatur, vbi crimen est admissum, & singulis Pastoribus portio gregis sit asscripta, quam regat vnusquisq; & gubernet, rationem sui actus Domino redditurus, oportet vtiq; eos, quibus præsumus, non circumcursare, Nec Episcoporum concordiam cohærentem sua subdola & fallaci temeritate collidere. Sed agere illic causam Luth. Contra malig. Eccij iudicium. Cypri: Lib. 1. Epist. 3.

ſuam, vbi & accuſatores habere & teſtes ſui criminis poßint.

DE VISITATIONIBVS.

CCVIII.

Luth. in libro viſitat

Quam diuinum & ſalutare ſit opus Parochias & Eccleſias per homines intelligentes & doctos viſitari ſatis docent exempla tàm noui quàm veteris Teſtamenti.

CCIX.

Ibid.

Nam & Chriſtus ipſe diligentiſsimè præ omnibus alijs hac viſitatione functus eſt, quam & in vtero matris inchoauit, cum mater eius viſitaret Elizabeth.

CCX.

Ibid.

Hæc exempla diligenter ſunt ſecuti pij patres & Sancti Epiſcopi.

Nam

CCXI.

Nam & hinc originem suam habent Episcopi & Archiepiscopi prout cuiq; plura vel pauciora loca visitanda erant. Ibid. supra quæst. 49. & 50.

CCXII.

Episcopus significat visitatorem & Inspectorem, quod cuilibet competit Parocho, vt suos Parochiales visitet, curet & inspiciat, quod ibi doctrinæ genus sonet & quomodo ibi viuatur. Ibid.

Ergo plurium Pastorum seu ministrorum verbi in ciuitate vna Imo duorum vel trium tantum, in spector, Luth. est Archiepiscopus.

CCXIII.

Archiepiscopus autem horum eorundem Episcoporum & Pastorum est inspector & visitator, quid illi doceant.

CCXIIII.

Degenerauit autem hoc officium in mundanam dominationem, Sic vt Episcopi id mandarent, vel præposito,

vel vicario, vel Decano, qui cum & ipsi non facerent suum officium, itum est ad Officiales, qui in causis pecuniarijs homines vexabant citationibus, visitantes neminem. Hi quoq; post focum sedentes, per suos emissarios, homines sceleſtos indagabant in tabernis omnia, & si quid cognoscerent ex suis susurronibus, & delatoribus, deferebant viros & mulieres ad Officiales, qui pro suo deglubendi officio & nummis & bono nomine etiam innocentes priuabant.

CC XV.

Ibid. Interea doctrina, fides, dilectio, quomodo piè sit viuendum, quomodo pauperum haberetur ratio, infirmi erigerentur, contumaces punirentur & quicquid præterea ad visitandi officium pertinet, prorsus fuit neglectum,

Si-

Sic vt sancta hæc Ordinatio in ludum iocularem Diaboli & Antichristi, cum horrenda pernicie animarum degenerarit.

CCXVI.

Ex malis, quæ euersionem huius officij sunt consecuta innumera, potest deprehendi quàm sit id vtile & necessarium. Ibid.

CCXVII.

Principes quanquam ratione sui officij politici ad talia officia non sint obligati: Tamen per dilectionem Christianam, propter Deum, ad propagandum Euangelium, & vt miseris conscientijs consulatur, idoneas personas tali inspectioni destinare debent.

Ne tum quidem quisquam illis in locis ad generalis inspectionis officium erat vocatus. Nec voluit Lutherus & alij talem vocationem vrgere, quod videret quod metuendum

esset si vni homini ea imponerentur Itaq. petierunt quatuor viris probatis talem inspectionem commendari. Interea Superintendentibus qui ibi in singulis præfecturis constituti fuerunt singuli, suas inspectiones permittentes, vt idem ille liber, vnde hæc deprompta sunt, ostendit.

CCXVIII.

Quamquam per leges talium visitationum, non sit nouis Decretalibus
Ibid. Pontificijs Ecclesia oneranda: Tamen ij quibus seriò est Euangelium curæ, & qui delectantur vnitate, sua sponte sine coactione prout dilectionis est natura, facile talia probabunt, donec prodeunt meliora.

CCXIX.

Qui sine certis causis, mera malitia, nec possunt nec volunt cum alijs
Ibid. sentire, & sequi, quod communiter placuit omnibus & pertinet ad vnitatem in doctrina & fide, has permittendum est

est ut tanquam paleæ se separent, quanquam & summus Magistratus hic suum faciet officium exemplo Constantini.

CCXX.

Præcipua piæ visitationis capita sunt hæc, Puritas & consensus in doctrina, ordinationes vel constitutiones humanæ in Ecclesia, Legitimus vsus excommunicationis, causæ matrimoniales, constitutio Superintendentum & quid ad eorum pertinet officium, Scholæ, Pauperes. (Haud dubie & bona Ecclesiarum.) Ibid.

CCXXI.

Causæ decimarum (Nihil dubium quin & bonorum Ecclesiæ omnium) iure humano pertinent ad Iurisdictionem Episcopalem. Smalcald. Confeß.

Posset

CCXXII.

Luth. ad nobil. Germ.

Posset permitti vt causæ beneficiorum & præbendarum agitarentur coram Episcopis.

CCXXIII.

Actis Vvorm.

Ad alendos Pastores, Iudices Ecclesiasticos, Scholasticos, opus est reditibus, qui in promptu sunt si recte collocẽtur. Facile enim iniri ratio potest vt nobilitas in Collegijs maiore parte redituum Ecclesiasticorum fruatur, & tamen aliqua collegia & monasteria, ad hos tres vsus conferantur.

CCXXIIII.

Ibid.

Propter hanc causam hæ opes à pijs Regibus & Principibus Ecclesijs, quas nunc tenent, donatæ sunt. Iniquum est autem præripi stipendia ab ocioſis & fucis, Ac interim fame perire eos qui durissimam militiam in docen-

docendo & gubernatione sustinent. Hæc sunt mutanda bonorum & sapientum regum & principum consilys & autoritate.

CCXV.

Decurys Iudicum qui præsunt Ordinationi & explorationi Ordinandorum & qui præsunt Ecclesys, commendanda est visitatio Ecclesiarum.

CCXVI.

In visitationibus de doctrina Pastorum fiat inquisitio. Coerceantur petulantia ingenia, quæ serunt falsa dogmata. Inspiciantur etiam Scholæ & gubernentur studia, Fiat quoq; inquisitio de Pastorum moribus & populi.

CCXXVII.

Inspiciant etiam visitatores rationes ærarij in Ecclesys & curent fideliter pendi stipendia Pastoribus, Adendi

lendi sunt quoq; pauperes Scholastici de publico.

CCXXVIII.

In pagis aut locis desertis virginum cœtus esse non videtur vtile. Sed
Ibid. si placet aliqua monasteria virginum conuerti in Scholis puellarum nobilium & aliarum, id fiat sine vllis vinculis votorum in vrbibus, vbi est honesta disciplina. Et præsint honestæ, piæ, & graues personæ.

CCXXIX.

Post prædicationem Euangelij
Luth. Gal. reliqua cura boni Pastoris & Episcopi est vt sit memor Pauperum. Nam vbi Ecclesia est, ibi necesse est & pauperes esse, qui & plerumq; soli sunt veri discipuli Euangelij. Mundus & Diabolus persequuntur Ecclesiam & redi-

redigunt multos ad paupertatem, qui postea deseruntur & negliguntur.

DE TRADITIONIBVS, SEV ORDINATIONIBVS HVMANIS in Ecclesia.

CCXXX.

Traditionum genera sunt tria. Primum quod sine peccato seruari non potest, cum repugnet voci diuinæ. Alterum complectitur ritus Adiaphoros boni ordinis causa institutos, vt distributio festorum, publicorum congressuum, lectionum, canticorum etc. Tertium continet traditiones omnes, quibus affingitur opinio meriti. *Luth. libel. visit.*

CCXXXI.

Itaq; non hic loquimur de legibus Ma-

Philip. Locis. *Magistratuum ciuilium aut officijs ciuilibus, quæ proprie pertinent ad Magistratuum ciuilium gubernationem, & instituta sunt ad defensionem communem pacis & imperiorum tranquillitatem: Sed de earum legum autoritate quæ ab hominibus in Ecclesia conditæ sunt.*

CCXXXII.

Philip. Locis. *Cum traditiones apertè præcipiunt ea, quæ sine peccato non possunt fieri, constat eas esse doctrinas Dæmoniorum.*

CCXXXIII.

Ibid. *Nec obediendum eis esse, Sed redeundum ad mandata Dei.*

CCXXXIIII.

Ibid. *Vt Heua peccauit obtemperans Diabolo hortanti vt contra Dei mandatum faceret: Ita peccant omnes qui obtem-*

obtemperant legibus aut edictis quæ iuben facere contra mandata Dei, Siue leges illæ ab Episcopis, siue à Regibus siue alijs Magistratibus, siue à Diabolis præpositæ sint. Ibid.

CCXXXV.

Hominum doctrina & opera seuerè in Ecclesia à Deo sunt prohibita. Quia Deus solus in Ecclesia vult loqui, operari & gubernationem tenere. Itaq; hominum doctrinæ pugnant cum fide & abducunt à veritate, Hoc est coram Deo sunt fraudes & mendacia. Luthe. Contra Papat.

CCXXXVI.

Cum autem Diabolus eo ruit impudentiæ, vt ijs prætexatur Dei vel Apostolorum nomen, & sub tali nomine venditantur, Hic iam non simplicia sunt mendacia & fraudes. Sed Ibid.

& horrendæ blasphemiæ, Idolatriæ & abominationes.

CCXXXVII.

Facit enim hoc modo Diabolus
Ibid. Deum mendacem & fallacem, vt qui talia protulerit mendacia. Fugienda igitur sunt tanquam Diabolus ipse.

CCXXXVIII.

Ritus Adiaphori, hoc est, qui nec
Philip. Locis. præcepti sunt lege Dei, nec prohibiti, quamuis eos sine Superstitione seruare sit concessum: tamen cum assuuntur ijs pernicioſi errores, aduersandum est legibus, de Adiaphoris docendo. Et doctrinæ exempla in vsu libertatis modestè ostendere pium est.

CCXXXIX.

Quando sit vtile mutationes facere, iudicium est piæ mentis. Tantum absit petulantia.

Extra

CCXL.

Extra casum scandali, violantur hæ traditiones sine peccato. Ibid.

CCXLI.

Dilectio quæ eius est natura, in alijs quoq; ritibus quantum fieri potest conformitati studet, tantum ne conscientijs iugum imponatur. Luth. libel. visit. & alibi.

CCXLII.

Traditiones de rebus sua natura Adiaphoris, fiunt impiæ & doctrinæ Dæmoniorum propter opiniones & errores de merito, cultu, necessitate (Haud dubiè quoq; cum accedit coactio.) Philip Locis.

CCXLIII.

Hi errores & taxandi sunt, & exempli causa aduersandum est, vt Ecclesia intelligat, non discedendum esse à verbo Dei, nec laxandos esse Ibid.

frenos humanæ audaciæ vt fingant homines suo arbitrio opiniones & cultus.

CCXLIIII.

Etsi viri politici non amantes Euangelium, tragice queruntur, labefactari legum autoritatem, quia aliquæ laxantur & disputant exitum perniciosum esse. tamẽ necesse est anteferri his querelis gloriam Christi. & salutem piorum, quos erudiri necesse est, vt lux Euangelij retineatur, & discrimen conspiciatur inter necessarios cultus Dei & commentitias superstitiones.

Ibid

CCXLV.

Arcanum est peccatum suo arbitrio cultus Dei fingere. Quod non intelligunt homines nisi benè cognita Euangely doctrina Amant enim sua inuenta & ornant multis prætextibus.

Ibid.

Sed

CCXLVI.

Sed reijcit Deus ac detestatur hanc audaciam hominum quæ fingit cultus suo consilio. Ibid.

CCXLVII.

Multorum errorum fons est, quod homines putant, sibi licere de Deo opiniones fingere, & bono studio, vt dicunt, cultus instituere. Clamant sapientes: Quid hæc res malihabet. cur non concederetur augere honesta exercitia? Quid Ethnici, Quid Aharon, Quid Ieroboam aliud volebant, nisi vt notitia Dei conseruaretur, vt populus ad inuocationem inuitaretur, vt bonis exercitijs ad pia opera assuefieret? Hæc species & hæ πιθανολογίαι semper fefellerunt, fallunt & fallent genus humanum. Ibid.

CCXLVIII.

Ibid. *Sed hæ ſpecioſæ rationes abducunt homines à verbo Dei, ad quod Deus mentes noſtras alligatas eſſe vult, ideo hi ludi à Deo prohibiti ſunt.*

CCXLIX.

Ibid. *Ex ijſdem tenebris oriuntur Bacchanalia, & Samoſateni error, & leges Manicheorum & lex Pontificum de cœlibatu Sacerdotum & ſimiles.*

CCL.

Ibid. *Cum primum diſceſſum eſt, à verbo, ſequuntur infinita deliria & Idola.*

CCLI.

Ibid. *Hic furor reprehendendus eſt, qui etiamſi diſſimiles materias proponit, tamen vnius modi eſt.*

CCLII.

Itaq; non de paruis rebus mouentur certamina, quæ ſint exitioſa imperijs

rijs vt inquiunt politici, qui his minutis rebus publicam concordiam & tranquillitatem anteponi volunt. Dimicatur de multis magnis rebus, quæ sunt anteferendæ nostræ vitæ, omnibus corporum commodis, imperijs & concordiæ publicæ, videlicet de vera agnitione & inuocatione Dei, ne à verbo Dei discedatur, & de Deo & eius voluntate quærantur opiniones extra verbum ab ipso traditum. Hæc omnium maxima est res. Ibid.

CCLIII.

Magna cœcitas est putare obseruationem humanarum traditionum esse cultum Dei. Philip. Colloß.

CCLIIII.

Opinio necessitatis, hoc est, necessariam esse obseruationem traditionum humanarum, etiam extra casum Philip. Locis.

ſcandali figmentum eſt in primis ta-
xandum, ne exiſtimetur iuſticia Euan-
gelij eſſe talis externa politia.

CCLV.

Homines capti hac perſuaſione
eos qui non obſeruant illos ritus dam-
Ibid. *nant tanquam deſertores Eccleſiæ,*
ſeditioſos, Schiſmaticos, auulſos à po-
pulo Dei & excluſos ex Eccleſia.

CCLVI.

Ne oriantur diſcordiæ propter a-
liquem talium rituum diſſimilitudi-
Ibid. *nem, donata eſt hæc in Euangelio li-*
bertas, ne ſentiamus humanas tradi-
tiones eſſe neceſſarias. Nec poteſt
hoc aboleri humana autoritate.

CCLVII.

Hæc opinio peperit κακοζηλίαν *le-*
gis Moſaicæ & vt regnum chriſti
transformaretur in politiam ſimilem
Iudaï-

Iudaicæ. Vnum aliquem hominem præfecerunt vniuersæ Ecclesiæ, tanquam summum sacerdotem. Deinde gradus Sacerdotum & externum sacrificium finxerunt. Addiderunt summo Sacerdoti potestatem instituendi Ceremonias, legem de calibata, Hæc tota κακοζηλία acerrime taxata est ad Galatas & ad Hebræos. Ibid.

CCLVIII.

Episcopi arrogant sibi potestatem condendi traditiones, quam tamen non concedit eis Euangelium. Ibid.

CCLIX.

Cum hæret persuasio opera ab hominibus excogitata sine verbo Dei, cultus Dei esse, Episcopi, quia præsunt, vt videantur augere studia pietatis, cumulant traditiones, & suas leges exasperant, & confirmant opinio- Ibid.

nem necessitatis, vt suam autoritatem amplificent.

CCLX.

Hoc magnum crimen & erratum
Ibid. scriptura nominat tentare Deum, Quod est contempto Deo & ipsius verbo, quasi cum eo certare aliud instituendo πρὸ φιλονικεῖν, & sepposito verbo Dei nostram sapientiam ipsius sapientiæ anteferre, & lacessere eius iram studio quærendi contraria ipsius verbo, & certandi cum eo.

CCLXI.

Philip. in Iohan. Homines naturalitèr delectantur sua sapientia & quærunt concinnitates in verbo Dei plausibiles. Cumq; omnes simus naturaliter φιλαρχικοί, & multa ordinare & constituere cupiamus, multa extra vocationem & sine verbo

verbo audacter suscipimus. Hoc est se deijcere de culmine templi.

CCLXII.

Sunt autem hæc arcana mala, quæ politica sapientia non potest iudicare. Sed nos in Ecclesia ea considerare debemus, vt moniti subijciamus nos verbo Dei, nec nostris opinionibus regi velimus. Philip. Locis.

CCLXIII.

Cum hæret opinio iustitiæ aut necessitatis de traditionibus humanis, sequuntur atroces discordiæ, vt olim dissidia exorta sunt de die Paschatos & de fermentato, & nunc Pontifices non solùm fulmen excommunicationis in Sacerdotes maritos torquent, & iniusta asperitate distrahunt Ecclesiam, Sed etiam Neroniana crudelitate interfi- Philip. Locis.

terficiunt pios Sacerdotes propter violatas iniustas traditiones.

CCLXIIII.

Ibid. Non igitur sint muti doctores cum aut Ecclesia impijs cultibus polluitur, aut conscientiæ laqueis traditionum humanarum implicantur.

CCLXV.

Ibid. Prodest etiam exemplo refutare hos errores, postquam doctrina de veris cultibus mediocritèr tradita est. Nam opinio superstitiosa tenacius hæret, si nulla exempla libertatis ostendantur. Ideo Paulus noluit Titum circumcidi, vt exemplum libertatis ostenderet, & Petrum arguit exemplo, confirmantem pertinaciam eorum, qui Mosaicos ritus seruari volebant.

CCLXVI.

Euangelium præcipit ne sentiamus tradi-

traditiones humanas res necessarias esse. Sed seruari concedit sine opinione iusticiæ aut necessitatis. Ibid.

CCLXVII.

Extra casum scandali violantur sine peccato. Ibid.

CCLXVIII.

Opinio quæ fingit omissiones talium rituum esse peccata, horribilis est carnificina. Philip. Colloss.

CCLXIX.

Hæc opponenda sunt nouis Oratoribus, qui nunc mira Sophistica pingere traditiones humanas didicerunt, quæ si valeret, similibus fucis etiam Ethnicæ religiones excusari possent. Philip. Locis.

CCLXX.

Gerson magna varietate quæsiuit ἀκριβείας traditionum, & disputat, alias ornatus causa, alias necessi- Ibid & Colloss.

ceßitatis causa institutas esse. Quæruntur & alia σόφα φάρμακα vt mitigetur falsa exacerbatio. Sed illæ Gersonis mitigationes non leuant conscientias. Autoritas diuina voce Apostolorum proposita leuat, quæ expressè reijcit opinionem iustitiæ & neceßitatis. Rursus antem munitur publica tranquillitas hac doctrina, quod dicimus propter εὐταξίαν eos ritus, qui boni ordinis causa instituti sunt, seruandos esse, Et peccare homines petulantes qui in Ecclesys emendatis violant tales ritus cum scandalo. Hæc est vera traditionum ἐπιείκεια quæ & leuat conscientias & earum vincula tollit, & vtilis est paci.

CCLXXI.

Seruentur ritus Adiaphori in Ecclesys emendatis, Sed hoc fine, scilicet pro-

propter bonum ordinem, Sed ita ne ad- Ibid.
dantur, opinio iusticiæ, cultus aut ne-
ceßitatis, aut alij errores.

CCLXXII.

Si circumcisionem Titi à Paulo po- Luth. Gal.
stulassent iure charitatis vel obsequio
fraternitatis, non recusassent, Sed quia
volebant cogere Paulum, & vrgebant
hoc fieri, malo exemplo in seruitutem
conscientiarum, & destructionem to-
tius Euangely: Hanc igitur coactio-
nem & necessitatem animaduertens
Paulus, ne ad horam quidem cedere
voluit, (Dixerunt enim procul dubio,
Ad tempus saltem Paule illam liber-
tatem intermitte) sed fortissimè se il-
lis opposuit, perrupit, & obtinuit, ne
Titus circumcideretur.

CCLXXIII.

Nolumus cogi, aut conscientias
nostras

Ibid. nostras alligari ad vllum opus, vt hoc vel aliud facientes iusti, omittentes verò damnati simus.

CCLXXIIII.

Philip. Coloss. Cum Paulus inquit: Nemo vos iudicet in cibo & potu, loquitur non solum de Mosaicis ceremonijs, Sed in genere de omnibus. De Mosaicis & de excogitatis ab Episcopis & alijs hominibus, Sic vt nemo propter omissionem talium rituum sit condemnandus.

CCLXXV.

Luth. de Missæ Germanic. ordinatione. Ordinatio vel constitutio humana in Ecclesia externa est res. Ea quantumcunq; sit bona, in abusum degenerare potest. Id cum fit, abrogandæ sunt mox & aliæ faciendæ.

CCLXXVI.

Ordinationes ad promouendam fidem

fidem & dilectionem valere debent, non vt obsint fidej. Ibid.

CCLXXVII.

Nulla ordinatio per se valet, vt hactenus de Papisticis existimatum fuit. Sed eius vita, dignitas, robur & virtus in legitimo consistit vsu. Alioquin valet nihil.

CCLXXVIII.

Quicquid extra scripturam fit, maximè in rebus ad Deum pertinentibus, id à Diabolo venit. Luth. de abrog. Missæ.

Hactenus Patrum nostrorum sententiæ de Articulis in titulo nominatis sunt recitatæ, quarum sententiarum causæ in proximo scripto, si Deus voluerit, subiungentur.

ESSet autem mihi in promptu de eo dicere prolixè, quàm indignis modis hæc sana doctrina fuerit excepta, duabus maxime de causis. Primo propter abrogatam alicubi seu scienter, seu, quod magis de aliquibus credo, inscienter, Constitutionem de Episcopis, rectè à Luthero vocatam Apostolicam, hoc est, diuinam, cuius præclara iacta erant fundamenta & monstrata vestigia. Deinde propter reuocationem eius, quod est Apostolicum piè simul & modestè factam. Id quod suo loco doceri potest.

Sed plus satis in Ecclesia est certaminum. Nec me delectant diffamationes aliorum publicæ, quanquam mihi nec priuatim nec publicè sit parsum. Itaq; si adhuc impetrari poterit vt desinant quidam, non me, sed Deum ipsum

ipsum contumelia afficere & aliquando Deo dantes gloriam, magis de illius veritate & autoritate, quàm de existimatione humana & alys rebus sint solliciti age condonentur paci publicæ artificia scriptorum quorundam, de quibus sic triumphos egerunt quidam, cum tamen nihil minus sint quam Theologica, ne quid iam dicant aliud. Itaq; & magis horum scriptorum me miseret, quàm vt pro merito refutanda esse existimem, maximè cum & hic videam, quàm sit horrendum agere contra conscientiam & interea incidere in manus Dei viuentis, quas non vno modo exerere cœpit. Nec dubito partem maximam eorum, qui hæc artificia quomodocunq; probarunt, nescire quid fecerint & adhuc faciant.

Quæramus pacem. Sed præua-

leat veritas. Nam hunc ordinem præscribit Propheta ipse. Cogitemus vocem è cœlo prolatam: Durum est contra stimulum calcitrare, vt vt videatur aura humana afflare ad tempus secundior & validior. Cumq; non minor sit virtus quã quærere, parta tueri, & constet laboribus maximis, ex tenebris densissimis, quamuis pro more humanarum traditionum specie magna obductis, Idq; inter pericula & tentationes maximas, has sententias esse erutas, quæ propemodum in oblationem venerunt totæ. Cumq; constet & illud propter discrimen potestatis politicæ & Ecclesiasticæ, & propter quartum, qui vsitatè numeratur gradum libertatis Christianæ, ita hæc esse necessaria vt ijs sublatis longè maiores tenebræ & confusiones sint metuendæ,

quam

quàm quæ antea oppresserunt, quicquid fuit à Deo. Et nescio quid Ecclesiæ impendeat à Theologis illis, qui honores captantes & opes cum fauore potentum prorsus se transformant in politicos atq; vtinam non in alios quoque, & ad cupiditates suas & aliorum religiones inflectunt. His igitur de causis iudicet Ecclesia vtrum propter dissimilia exempla quemcumq; demum habeant autorem, hæc veritas & eius vsus sit negligendus, & non prius probandus, nisi publicus accedat consensus. Nam & illud disertè in his sententijs affirmat Lutherus, etiamsi quæ possint Episcoporum afferri exempla, qui pluribus præfuerint oppidis: Tamen non plus horum exemplum valere debere quàm normam verbi, hoc

est constitutionem de Episcopis Apostolorum.

Equidem dolendum est propter traditiones hominum in Ecclesia & quidem tales quæ disertè cum verbo pugnant, tantas existere turbas & distractiones, cum in Ecclesia tum in politia. Sed quid facias? Semper veritatis talis est ratio, nec dissipationum atq; distractionum causa sunt illi, qui veritatem profitentur: Sed qui propter suas cupiditates veritati cedere nolunt.

Nihil de me arrogantius dicendum mihi est, et tamen verum est diuturnum silentium, patientiam Deo dante, non mediocrem, studium pacis & consensionis, monstrationem consiliorum moderatorum fidelem & salutarem

tarem mihi non defuisse. Sed desinam si illud tantum addidero.

Fortasse Deum maximis de causis in hoc tempus, quo de Concordia in Ecclesia agitur, hanc controuersiam de traditionibus humanis, voluisse incidere.

Fons haud dubiè omnis sunt mali in Ecclesia, traditiones humanæ, si non certus & pius illis statuatur modus. Taceant igitur tandem qui clamitant hæc non esse necessaria, quod premi se sentiunt.

FINIS.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1757675671/phys_0144



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1757675671/phys_0145



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1757675671/phys_0146

ESSet autem mihi in promptu de eo
dicere prolixè, quàm indignis mo-
dis hæc ſana doctrina fuerit excepta,
duabus maxime de cauſis. Primo pro-
pter abrogatam alicubi ſeu ſcienter,
ſeu, quod magis de aliquibus credo, in-
ſcienter, Conſtitutionem de Epiſcopis,
rectè à Luthero vocatam Apoſtolicam,
hoc eſt, diuinam, cuius præclara iacta
rant fundamenta & monſtrata ve-
ſtigia. Deinde propter reuocatio-
nem eius, quod eſt Apoſtolicum piè ſi-
nul & modeſtè factam. Id quod ſuo
co doceri poteſt.

Sed plus ſatis in Eccleſia eſt cer-
minum. Nec me delectant diffama-
ones aliorum publicæ, quanquam
ihi nec priuatim nec publicè ſit par-
m. Itaq; ſi adhuc impetrari poterit
deſinant quidam, non me, ſed Deum
ipſum